

UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 01449219 3

Digitized by the Internet Archive
in 2008 with funding from
Microsoft Corporation




Carmichael

280

(20)

PSALTERIUM

DAVIDIS



Original

PSALTERIUM

DAVIDIS.

CUM

BREVI AC SUCCINCTA PARAPHRASI

EX

BELLARMINI COMMENTARIO

DEPROMPTA

—
VOLUMEN SECUNDUM
—

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPIS HYACINTHI MARIETTI

MDCCCLXXX




BS

1429

B4
1880

V. 2





PSALTERIUM

SIVE

LIBER PSALMORUM D. AVID

PSALMUS LXXI.

Synopsis

Christi Regnum in figura Salomonici regni, pacificum, amplum, felix, aeternum fore praedicatur. Titulus est: In Salomonem, quia occasio hunc psalmum canendi fuit, ut bene precaretur filio suo, quem in regni solium extulerat.

1. *Deus, iudicium tuum regi da; et iustitiam tuam filio regis.* 2. *Iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio.* Haec est bona precatio, qua precatur David filio suo gratiam Dei ad iuste iudicandum. *Deus, iudicium tuum regi da, id est, da Salomoni regi recens instituto iudicium*

tuum, id est, iudicium tale, quale est tuum, rectum, sapiens, iustum; sive gratiam iudicandi secundum leges tuas. Idem deinde repetit: *Iudicare*, sive ut iudicet *populum tuum in iustitia*, id est, iusto iudicio, *et pauperes*, id est, eundem populum tuum *in iudicio*. Est repetitio.

3. *Suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam*. 4. *Iudicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum: et humiliabit calumniatorem*. Pergit in bona precatone: *Suscipiant montes, etc.*, id est, descendat *pax* ad omnes montes huius terrae promissionis, et *suscipiat* ab eis pro *populo* in eis habitante, *et colles* huius terrae *suscipiant iustitiam*, quae est causa *pacis*: *Iudicabit pauperes populi, etc.*, id est, si *pax* et *iustitia* vigeant in regno, facile *rex iudicabit pauperes populi* a calumniis et oppressionibus paucorum potentiorum, *et salvos faciet filios pauperum* de manu *calumniatorum*, et ipsos *calumni* ores humiliabit.

5. *Et permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem*. Iam propheta transit a Salomone ad Christum. *Et permanebit* rex Salomon in filio suo, qui verissimus erit *pacificus* et *amabilis Domino*: *cum sole*, id est, quamdiu sol erit, *et ante lunam*, id est, coram luna, *in generatione et generationem*, id est, usque ad finem saeculi, q. d. In aeternum stabit regnum Christi.

6. *Descendet sicut pluvia in vellus: et sicut stillicidia stillantia super terram*. Describit adventum Christi et propagationem, ac proprietates regni eius. *Descendet* Christus in terram, vel in uterum virginis, *sicut pluvia* seu *ros in vellus* Gedeonis, *Iudic. c. vi, v. 37*, *et sicut stillicidia*, id est, quiete, insensibiliter, sine corruptione virginitatis per operationem Spiritus sancti, cum foecundatione, et influxu

omnium bonorum. Ita s. Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. Christum descendisse, ait s. Bernardus, serm. 2 super missus est, *sicut pluviam in vellus per incarnationem, et sicut stillicidia stillantia super terram per praedicationem.*

7. *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis, donec auferatur luna.* Hic erit primus fructus adventus Christi, vera iustificatio et verissima pax cum Deo, et cum omnibus hominibus. *Donec auferatur luna*, id est, durabit iustitia fidei et pax conscientiae, non sine externis persecutionibus, *donec tollatur e medio omnis corruptio et mortalitas, quae per lunam significatur.* Vel, tamdiu durabit, *donec non sit luna*, ut in hebraeo est.

8. *Et dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Describitur nunc propagatio regni Christi, quod est ipsa Ecclesia toto orbe diffusa. Videtur autem hic describi terra habitabilis secundum longitudinem a mari Indico, sive orientali, usque ad mare Gaditanum sive occidentale; et per latitudinem a flumine Tanai septentrionali usque ad fines Aethiopiae, quae est ultima provincia ad meridiem.

9. *Coram illo procident aethiopes; et inimici eius terram lingent.* Nominantur aethiopes in particulari, quia, ut nigerrimi corpore, ita feri moribus longissime videbantur abesse a cultu veri Dei. Illud, *et inimici, etc.*, est explicatio prioris; nam *procidere* est prosterni usque ad terram, quod faciunt, qui terram lambere volunt. Itaque significatur humillima subiectio et adoratio, quae proprie debetur Deo: et quam deferent Christo inimici eius, id est, infideles, etc.

10. *Reges Tharsis et insulae munera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent.* Sensus est:

Reges Tharsis, id est, insularum orientalium, et ipsae etiam insulae, id est, populi earum, munera pretiosa regi Christo offerent. *Reges Arabum et Saba* significat, reges Arabiae et totius regionis, quae dicitur Saba.

11. *Et adorabunt eum omnes reges terrae; omnes gentes servient ei.* Haec sumenda sunt in sensu accommodo; vel si hic locus absolute sumatur de adoratione, sive spontanea, sive coacta, adimplebitur in die iudicii, tunc enim Christo curvabitur omne genu.

12. *Quia liberabit pauperem a potente: et pauperem, cui non erat adiutor.* Haec est ratio cur omnes servient Christo, quia per ipsum liberabuntur a potestate diaboli: adeoque per *pauperem* intelligitur genus humanum, spoliatum a diabolo omnibus bonis suis, quibus in statu innocentiae abundabat. Per *potentem* intelligitur diabolus; *liberabit* ergo Christus *pauperem* hominem a *potente* diabolo, *et pauperem, cui non erat adiutor*, id est, quem neque alius homo, neque angelus, neque ulla creatura poterat adiuvere.

13. *Parcet pauperi et inopi: et animas pauperum salvas faciet.* Explicat modum, quo Christus *liberabit* homines a diabolo: *Parcet* igitur *pauperi et inopi*, id est, condonabit delicta agnoscentibus debita sua, et confitentibus paupertatem suam, ob quam solvendo non erant; nec solum ignoscet peccatis, sed etiam donabit gratiam sive iustitiam, ac per hoc *animas pauperum salvas faciet.*

14. *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum: et honorabile nomen eorum coram illo.* q. d. Benignissimus Dominus, non solum peccatum originis, quod fuit primum capitale debitum, per gratiam suam remittet, sed etiam ab *usuris*, id est, actualibus peccatis, et ab iniqua oppressione, fraude et

violentia durissimi exactoris diaboli *redimet*. *Et honorabile nomen eorum coram illo*: haec est causa tantae pietatis, quia *nomen* istorum pauperum fuit *honorabile*, et pretiosum coram Deo. Ubi illud et iterum accipitur pro *quia*, et *nomen* significat naturam humanam ad imaginem Dei factam.

15. *Et vivet et dabitur ei de auro Arabiae, et adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei*. Quoniam dicens: *Redimet animas eorum*, insinua-
verat mortem Christi, quae fuit redemptio pro animabus nostris: addere voluit etiam resurrectionem: ideo subiunxit: *et vivet*, id est, posteaquam per mortem redemerit, iterum vivet, *et dabitur ei de auro Arabiae*, id est, pretiosis muneribus cole-
tur, *et adorabunt de ipso semper*, id est, et redempti ab ipso *adorabunt* Deum verum ex ipsius ritu doctrina et institutione usque ad mundi consummationem, et *tota die*, id est, iugiter laudabunt eum.

16. *Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius; et florebut de civitate sicut foenum terrae*. Illud *firmamentum* iuxta s. Hieronymum et alios interpretes significat abundantiam optimi frumenti. Hic igitur est sensus huius loci alioqui valde obscuri: Tanta rerum omnium maxime spiritualium, fertilitas erit tempore Messiae, ut pauca grana frumenti in terram coniecta, etiam *in montibus* silvosis et aridis, tantam latura sint segetem, ut fertilissimi *Libani* messem excedat. *Et florebut de civitate*, id est, cives, qui sunt de civitate Dei, sive ecclesia Christi, *sicut foenum terrae*, multiplicabuntur numero et gratiis. Ita Tirinus, Bellarminus, et alii.

17. *Sit nomen eius benedictum in saecula: ante solem permanet nomen eius*. Concludit psalmum orando et laudando futurum Messiam. *Ante solem*

permanet nomen eius, id est, *nomen Christi*, *coram sole*, sive quamdiu *sol* erit *permanebit*. Conabuntur quidem persecutores illud extinguere, sed non praevalent.

18. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae: omnes gentes magnificabunt eum*. Omnes ergo *gentes benedicentur* in Christo, id est, nemo benedicetur nisi in Christo; et hinc *omnes gentes* laudabunt et glorificabunt eum.

19. *Benedictus Dominus Deus Israël: qui facit mirabilia solus*. Haec est laus, qua magnificabunt eum omnes gentes: agnoscent enim, et praedicabunt haec mirabilia, quae fecit Deus Christus, iustificando impios, et eos eruendo de potestate tenebrarum, ab ipso solo fieri potuisse.

20. *Et benedictum nomen maiestatis eius in aeternum, et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat*. Optat in fine propheta, ut *nomen divinae maiestatis in aeternum* ab omnibus benedicatur, non in coelo tantum, sed etiam in *terra*, ita ut *repleatur omnis terra* gloria Domini, et omnes homines agnoscant et laudent Dominum. Addit ex magno affectu, *fiat, fiat*, hebraice, *Amen, Amen*, vere ita sit, vere ita sit.

Observandum est quod in Scriptura subiungatur huic psalmo: *De fecerunt laudes David filii Iesse*. Unde hic psalmus videtur esse omnium postremus, scriptus est enim eo tempore, quo David vicinus morti tradidit regnum Salomoni filio suo. Cur autem non sit positus hic psalmus in fine libri, fortasse causa fuit, quia visum est ei, qui psalmorum ordinem disposuit, ut librum concluderent psalmi, qui solas Dei laudes continent, et incipiunt, et desinunt in vocem *Alleluia*, quales hymni continuabuntur post hanc vitam in saeculum saeculi. — NB. Collectione psalmorum quae hoc LXXI concluditur, paucis exceptis, Davidici tantum comprehenduntur; e contrario serie insequentis alii aliis indiscriminatim intermiscuntur. id unum laudata clausula significatur.

(Nota Editoris).

PSALMUS LXXII.

Synopsis

Est exhortatio ad infirmos fideles, ut non scandalizentur, si videant improbus in hoc mundo florere. De Titulo (Psalmus Asaph) iam alibi dictum est.

1. *Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde!* David primum affirmat Deum bonum esse, ac per hoc iustum; sed bonum ut est, videri bonis, qui sano iudicio praediti sunt; quamvis perversis non videatur bonus. Ait igitur non interrogando, sed affirmando: *Quam bonus, etc.*, id est, perquam bonus est Deus Israël, Israëlitis, inquam, *qui recto sunt corde.*

2. *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.* Incipit nunc exponere tentationem infirmorum, quorum personam in hoc psalmo gerit. Boni, inquit, fideles, qui puro et *recto sunt corde*, bonum et iustum Deum esse non dubitant, quidquid illis accidat: sed ego infirmus, et qui cor habeo non usquequaque purum et rectum, pene cecidi in dubitationem de iustitia Dei. Hanc enim dubitationem significat *motio pedum et effusio gressuum*. Sicut enim, qui nutare incipit pedibus, et qui labitur dum ambulat, deficit a firmitate et stabilitate sua; sic ille qui agitur dubitationum tentationibus, deficere incipit, et quasi nutat a constantia fidei.

3. *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Aperit causam suae tentationis, ac dicit esse, quia *viderit iniquos*, quos puniri a Deo oporteret, pace, aliisque bonis frui. Illud *zelavi super iniquos* significat, zelo indignationis exarsi.

4. *Quia non est respectus morti eorum: et firmamentum (non est) in plaga eorum.* Dicit impios pace, et prosperitate frui, *quia non est respectus morti eorum*, id est, quia tanta sanitate utuntur, ut ad mortem suam non respiciant, de ea non cogitent, quasi semper essent victuri, et non est *firmamentum in plaga eorum*, id est, et si forte *plaga* aliqua, sive morbus illis contingat, non habet *firmamentum*, sive firmitatem, vel stabilitatem, sed continuo evanescit. Ita Theodoretus, Euthymius, Bellarminus, Tirinus, etc.

5. *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Ad sanitatem iniquorum accedit abundantia omnium rerum, ut necesse non habeant conflictari cum inopia, fatigatione, laboribus, aliisque tribulationibus, quibus plerique hominum *flagellantur*. Sed recte monet s. Bernardus, qui cum hominibus in hac vita non *flagellantur*, cum daemonibus *flagellabuntur* in gehenna.

6. *Ideo tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate et impietate sua.* Declarat quem fructum producat prosperitas in impiis, *superbiam* videlicet, et *accumulum iniquitatum*. Dicitur autem, *tenuit eos superbia*, non enim superbi *superbiam* tenent, sed a *superbia* tanquam vinculo quodam tenentur. *Et operi sunt, etc.*, nam impii rebus omnibus abundantes cooperti sunt *iniquitate*, quia non solum cogitatione et desiderio, sed visu, verbo et opere peccant.

7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.* Ostendit originem *iniquitatis* natam esse ex malo usu rerum temporalium abundanter illis a Deo concessarum, *iniquitas eorum prodiit quasi ex adipe*, id est, valde, copiose, et abundanter, sicut effluit *adeps* ex pinguisimo animali. *Transierunt in affectum cordis*, id est, to-

tos se tradunt explendis animi *affectibus*, ut non legi Dei, vel rectae rationi, sed suis concupiscentiis obsequantur. Ita s. Hieronymus, Emmanuel Sa, Le Blanc, Tirinus, etc.

8. *Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.* Pergit in explicanda perversitate iniquorum abundantium rebus temporalibus, ac dicit eos *cogitasse*, apud se *iniquitatem* adversus Deum et homines, et non timuisse eam et palam praedicare, irridendo Dei maiestatem, et qui illum colunt. Illud *in excelso* habetur in hebraeo, *de excelso*, seu sublimi loco, id est, palam, publice, inverecunde.

9. *Posuerunt in coelum os suum: et lingua eorum transivit in terra.* Haec est nequitia impiorum, *posuerunt in coelum*, id est, supra *coelum os suum*, non timentes Deum et angelos blasphemare. *Et lingua eorum transivit in terra*, id est, lingua eorum perambulavit (ut sonat vox hebraica) *in terra*, detrahens cultoribus Dei, q. d. nemini parcent.

10. *Ideo convertetur populus meus hic: et dies pleni invenientur in eis.* 11. *Et dixerunt: Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?* q. d. Et haec impiorum impunita prosperitas causa est, cur infirmi in fide hic se convertant ad conquerendum, dum vident *dies plenos* in eis, id est, impios diutissime, et felicissime vivere. Unde mirantes dicunt: Scitne, et curat haec Deus? Ita Bellarminus, Tirinus, et alii.

12. *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in saeculo, obtinuerunt divitias.* 13. *Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas:* 14. *Et fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.* Aperit causam dubitationis, an Deus sciat, quae aguntur in terris; et loquitur

in persona infirmorum, quasi unus esset ex illis. *Ecce, inquit, ipsi peccatores, etc.*; id est, haec ratio est, cur incipiam dubitare de providentia Dei; quia *peccatores*, qui flagellari deberent, *abundantes sunt in saeculo*, et obtinent magnas divitias. *Et dixi apud me ista considerans: Ergo sine causa iustificavi cor meum*, id est, frustra cor meum purum a peccatis servare studui, et frustra *lavi inter innocentes manus meas*, innocenter operans et vivens; frustra, inquam, quoniam Deus non benefacit iustis, sed peccatoribus; imo non solum Deus non benefacit iustis, sed eos affligi patitur: ego enim, qui iustitiae studeo, *flagellatus sum tota die*, id est, semper in tribulationibus versor, *et castigatio mea in matutinis*, id est, summo mane incipit vexatio et castigatio mea.

15. *Si dicebam: narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.* Incipit iam propria adhibere medicinam infirmis; atque haec est prima ratio, qua eis persuadet, ut non dubitent de providentia Dei, ne videlicet contrarii sint omnibus *filiis Dei*, ss. videlicet patriarchis et prophetis, etc. *Si dicebam apud me, narrabo sic*, id est, pergam *narrare prosperitates impiorum*, quasi iniustas. *Ecce nationem filiorum tuorum reprobavi*, id est, hoc ipso sic iudicando *reprobavi*, et damnavi omnes *filios Dei* quasi insipientes, qui frustra iustitiae studeant; vel quia iudicavi eos omnes a Deo derelictos esse, quod falsum est.

16. *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me.* 17. *Donec intrem in sanctuarium Dei; et intelligam in novissimis eorum.* Addit secundam rationem petitam a difficultate huius quaestionis. *Existimabam ut cognoscerem hoc*, id est, reputabam mecum, et cogitando investigabam, ut ad huius rei

cognitionem pervenirem: sed labor magnus et difficultas mihi obiiciebatur, *donec intrarem in sanctuarium Dei*, et per orationem a Deo lumen obtinerem, et eo lumine ad *novissima* impiorum abundantium aspicerem, nam ex *novissimis*, id est, ex divino iudicio, quod post mortem impios manet, manifeste declarabitur, illos non fuisse vere felices.

18. *Verumtamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos, dum alleverentur.* Ostendit ex *novissimis* intelligi posse, iniquos abundantes in saeculo non esse felices. *Verumtamen*, inquit, *propter dolos*, id est, ut dolose et callide deciperentur, *posuisti eis* illam prosperitatem id est, dedisti impiis omnia prospera, ut *dum alleverati*, id est, in altum eveci essent, *deiceres*, et praecipitares eos, ut lapsu graviore ruant. Illud *propter* non designat hic finem Dei, sed eventum rei, quem Scriptura saepe finem vocat. Ita Tirinus.

19. *Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.* Admirans celerem ruinam iniquorum, quorum felicitas vix exorta arescit, *quomodo*, inquit, *facti sunt in desolationem, subito?* etc.

20. *Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Comparat prosperitatem impiorum somnio. *Velut somnium*, inquit, *surgentium*, quod vigilando evanescit; *sic tu, Domine, in civitate tua*, quae in novissimo demonstrabitur et aperietur, *imaginem impiorum*, id est, imaginariam eorum felicitatem *ad nihilum rediges*: umbratilis enim felicitas evanescet, cum vera felicitas apparebit. Ita Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius, etc.

21. *Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt; et ego ad nihilum redactus*

sum et nescivi. 22. Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. 23. Tenuisti manum dexteram meam; et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Exponit nunc propheta unde noverit solutionem quaestionis, et apud Deum multum profecerit. *Quia inflammatum est cor meum,* in Deum videlicet, *et renes mei commutati sunt,* id est, affectio mea carnalis mutata est in spiritua-lem, *et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi,* id est, humiliatus sum, et ignorantiam meam confesus sum; imo ut insipiens *iumentum factus sum apud te,* id est, obedire tibi sine contradictione constitui, et onus quodcumque portare decrevi, *et ego semper tecum,* a fide et charitate non recedens: propter has omnes virtutes meas, quae dona tua sunt, *tenuisti manum dexteram meam,* ne forte tentatio illa gravissima me aberrare faceret a te, *et in voluntate tua,* id est, secundum beneplacitum tuum *deduxisti me* per viam rectam, *et cum gloria suscepisti me* in civitatem tuam, nunc in spe, suscepturus postea in re. Ita fere Arnobius, Genebrardus, Bellarminus, Tirinus, Le Blanc, et alii.

24. *Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?* Quia dixerat *cum gloria suscepisti me,* raptus a spiritu, iam omnia creata despicit. *Quid mihi, inquit, est in coelo?* quid pulcri, quid pretiosi est *in coelo* quod appetam, aut *quid volui super terram a te,* id est, praeter, aut extra te, q. d. Nihil creatum in coelo, neque in terra invenio, quod me satiet, in quo cor meum penitus acquiescat, etc.

25. *Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.* Reddit rationem, cur nihil cupiat praeter Deum: quia ubicunque, inquit, posuero *cor meum,* aut *carnem meam,*

putrescent et deficient, nisi quieverint in te, qui solus es *Deus cordis mei*, *pars mea*, *portio mea*, *haereditas mea*, id totum, quod praetendere possum *in aeternum*.

26. *Quia ecce, qui elongant se a te peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te*. Recte elegit quiescere in solo Deo, quoniam omnes qui per iniquitatem separantur a Deo *peribunt*. *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te*, amantissimo sponso, tuique amore et cultu deficiunt, et creaturis quasi adulteris adhaerent.

27. *Mihi autem adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam*. 28. *Ut annuntiem omnes praedicationes tuas in portis filiae Sion*. Concludit dicens: *Mihi autem, etc.*, q. d. Viderint alii, quid eis bonum sit, mihi certe bonum est, utile, iucundum, honorificum *adhaerere Deo* interim per spem; et in spe perfectae adhaesionis gaudere, *ut annuntiem, etc.*, id est, ut per hanc *adhaesionem* ad Deum, liberatus ab omni cupiditate terrena, totus occuper in laudibus eius, idque *in portis filiae Sion*, coram multitudine fidelium, ut multos erudiam, quam inane et noxium *adhaerere* temporalibus bonis, et quam *bonum adhaerere Deo et ponere in Domino Deo spem suam*.

PSALMUS LXXIII.

Synopsis

Praedicitur et deploratur Hierosolymae ruina, et quidem iuxta probabiliorem sententiam illa, quae facta est sub Antiocho, de quo in libris Machabaeorum. Dicitur in titulo: Intellectus, vel ut alii vertunt, eruditio Asaph, ut admoneantur Iudaei, diligenter cogitare et intelligere, quae de ipsis in hoc psalmo dicuntur.

1. *Ut quid, Deus, repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuae tuae?* Deplorat propheta in persona populi iudaici calamitatem illam, qua totus populus iudaicus miserrime oppressus fuit a gentilibus sub Antiocho rege, qui dictus est Epiphanes. *Ut quid, etc.* id est, quare ita te geris, ut videaris populum tuum *repulisse* in aeternum? *Iratu* est furor tuus, id est, accensus est furor tuus, contra populum tuum, quem singulari providentia regere solebas, ut pastor proprias oves pascit et regit.

2. *Memor esto congregationis tuae, quam possidisti ab initio.* Orat idem populus Deum, ut non repellat in finem, adducens pro argumento, quod ipse Deus olim hunc populum congregaverit et eum, dum nullum regem et dominum habuit, primus *ab initio possederit*.

3. *Redemisti virgam haereditatis tuae: mons Sion, in quo habitasti in eo.* Hoc est alterum argumentum, quo probatur aequum esse, ut Deus non repellat populum suum. *Redemisti virgam haereditatis tuae*, id est, sceptrum et potestatem totius nostrae nationis, quae est haereditas tua, a variis tyrannis liberasti. *Mons Sion, etc.* id est, haec haereditas tua est populus, qui nunc incolit montem Sion, ubi

et tu *habitas* cum arca et templo tuo. Ita fere Symmachus, Hieronymus, Theodoret., Euthymius, et alii.

4. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem; quanta malignatus est inimicus in Sancto!* Propter causas iam dictas orat populus Deum, ut convertat *manum suam* in hostes populi sui, et confundat *superbiam eorum in perpetuum*. *Quanta malignatus est*, id est, quanta mala fecit inimicus *in Sancto!* id est, in Sanctuario: quae regi Antiocho aptissime convenire habetur I. Machab. c. 1.

5. *Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuae.* Id est, Antiochus et milites eius, *qui oderunt* sacra tua et ceremonias legis tuae, *gloriati sunt*, idque *in medio solemnitatis tuae*, id est, ingressi templum et sanctuarium tuum, dum sacra solennia peragerentur, ibi gloriati sunt, et fremuerunt quasi victores capta praeda.

6. *Posuerunt signa sua, signa (et non cognoverunt) sicut in exitu super summum.* Sensus est: *signa sua*: id est, vexilla bellica, *posuerunt signa*, id est, quasi trophaea victoriae *sicut in exitu*, scilicet urbium, id est, in portis, ubi solent erigi trophaea, sic *super summum* verticem templi *posuerunt* illa. *Et non cognoverunt*, id est, nesciverunt, neque curarunt, quantus honor deberetur templo tuo. Ita s. Hieronymus, Theodoretus, et alii.

7. *Quasi in silva lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum; in securi et ascia deiecerunt eam.* Pergit explicare mala, quae fecerunt hostes in Ierusalem. *Quasi in silva lignorum* versarentur, *securibus exciderunt ianuas eius*, videlicet civitatis Ierusalem, *in idipsum*, id est, simul omnes pariter. *In securi et ascia deiecerunt eam*, videlicet ipsam Ierusalem. Id fecit Antiochus, qui deiecit portas et muros Ierusalem.

8. *Incenderunt igni sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Id est, *incenderunt* portas templi (sumitur enim totum pro parte) et ipsum templum, seu *tabernaculum polluerunt*, ponentes in eo idolum abominationis et sacrificantes idolis, ut dicitur I. Machab. c. i. *Polluerunt autem in terra*, id est, *polluerunt sanctuarium* quod habes *in terra*, nam coeleste *tabernaculum* non potuerunt polluere.

9. *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.* Pagani tempore Antiochi conabantur totis viribus delere religionem veri Dei, ut patet ex lib. I Machab. c. i: *Dixerunt, etc.*, id est, decreverunt apud se tota natio gentilium, qui Antiocho serviebant, dicentes: *Quiescere faciamus, etc.* id est, contaminemus sanctuarium, repleamus omnia idolis, tollamus omnia signa religionis, et hoc modo *quiescent*, id est, deficient, et cessabunt omnes solemnitates veri Dei *in terra* Israël.

10. *Signa nostra non vidimus, iam non est propheta: et nos non cognosces amplius.* Ponit verba populi fidelis in tanta afflictione pene desperantis de auxilio Dei. *Signa nostra*, id est, vexilla et insignia religionis nobis usitata, *non amplius vidimus.* *Iam non est propheta*, qui nobis opitulari possit, ut olim Moyses, Samuel, et alii. *Et nos non cognosces amplius*, supplendum est, Deus. q. d. Videtur Deus, nos quasi alienos nolle amplius cognoscere, aut curare.

11. *Usquequo, Deus, improperebit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem?* Exorat populus clementiam Dei, ut memor populi sui convertat iram in adversarios, qui *improperabant* Deo in firmitatem, quasi non valeret salvare populum suum

Haec videntur dici de Nicanore, et de ipso Antiocho, Demetrio et ducibus eorum, ut cognosci potest ex lib. I et II. Machabaeorum.

12. *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?* Oraverat populus Deum, ut irasceretur in hostes; nunc orat, ut complectatur populum suum, ut antea faciebat. *Ut quid avertis manum tuam sinistram, et dexteram de medio sinu tuo,* ut videlicet sinas nos cadere a paterno sinu tuo, vel non complectaris in sinu tuo. Ita Bellarminus: alii volunt, quod *avertere manum a sinu,* sit manus post tergum convertere, in signum negantis auxilium. Illud *in finem* significat in perpetuum.

13. *Deus autem rex noster ante saecula, operatus est salutem in medio terrae.* In hoc, et sequentibus 5 versibus explicatur potentia, quam olim Deus ostendit: ut declaretur, posse Deum, si velit, populum suum, etiam nunc liberare. *Deus rex noster ante saecula,* id est, *rex noster,* qui est *ante saecula* Deus, *operatus est salutem,* Iudaeorum videlicet, *in medio terrae,* *est,* palam, et ubique in omni terra, inquit Theodoretus et Euthymius, vel ut s. Hieronymus in *Ierusalem,* aut generaliter *in Iudaea,* quae est medium terrae habitatae. Unde etiam opus redemptionis *operatus est* Salvator noster in Iudaea, ut ipsa ex se, quasi ex orbis corde salutem in totum mundum transmitteret, inquit Genebrardus.

14. *Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.* Explicat, quomodo Deus olim operatus sit salutem Iudaeorum: *Tu confirmasti,* id est, solidasti potentia tua mare rubrum, ut utrinque instar muri stans, Hebraeis in medio transitum daret. *Contribulasti,* sive contrivisti et obruisti in aquis eiusdem maris *capita aegy-*

ptiorum, qui instar *draconum* filios Israëli insequantur: ita Theodoretus, Euthymius, Bellarminus, Tirinus, etc.

15. *Tu confregisti capita draconis; dedisti eum escam populis Aethiopum.* Hunc versum ad Pharaonem referunt fere omnes interpretes. *Capita draconis*, antonomastice Pharaonis, id est, primores et proceres Aegypti. *Dedisti eum escam populis Aethiopum*, id est, accolis maris rubri, qui erant *aethiopes*, vel corvis, inquit Iansenius; aliquando enim populus in Scriptura dicitur etiam de belluis. Ioël c. 1.

16. *Tu dirupisti fontes et torrentes: tu siccasti fluvios Ethan.* Hic describitur potentia Dei, qua paulo post in deserto ex petra excitavit fontem et rivum aquae instar fluminis, etc. *Tu dirupisti fontes*, id est, dirupta petra, fecisti scaturire fontes et torrentes. Exod. xvii et Numer. xx. *Tu siccasti fluvios Ethan*, id est, fluvios fortes et magnos, ut vertit Hieronymus, Aquila et Chaldaeus, qui etiam nominat illos, nempe Arnon, Toubecha et Iordanem.

17. *Tuus est dies et tua est nox: tu fabricatus es auroram et solem.* 18. *Tu fecisti omnes terminos terrae: aestatem et ver, tu plasmasti ea.* Transit ad potentiam, quam Deus in creatione monstravit: et quoniam creatio in summa complectitur duas partes principales, coelum et terram, de his tantum loquitur.

19. *Memor esto huius, inimicus improperavit Domino, et populus insipiens incitavit nomen tuum.* Explicata potentia Dei, redit ad orationem, ac precatur, ut Deus dignetur recordari, quemadmodum inimicus blasphemaverit Deum, quasi impotentem et infirmum. *Memor esto huius*, id est, recordare, Domine, huius rei, quam dicturus sum: *Inimicus im-*

properavit Domino, id est, hostis noster improperravit tibi tanto Domino impotentiam, et *populus eius insipiens incitavit te* blasphemias et contumeliis. Ita fere Hieronymus, Chaldaeus., Bellarminus, et alii.

20. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.* Id est, ne tradas hominibus insipientibus et crudelibus more ferarum, homines qui te colunt, et confitentur laudes tuas, et ne obliviscaris defendere et liberare animas pauperum tuorum, qui ad ianuam misericordiae tuae panem mendicant.

21. *Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt, qui obscurati sunt terrae, domibus iniquitatum.* q. d. Si non vis nos respicere, saltem *respice in testamentum tuum*, id est, memento pacti, quo pepigisti, te semper adiutorem fore populo tuo: quoniam, *qui obscurati sunt terrae*, id est, qui antea obscuri, viles et ignobiles erant in terra, iam *repleti* et ditati sunt nostris agris, *domibus* et supellectilibus *iniquitatum*, id est, inique nobis ereptis

22. *Ne avertatur humilis factus confusus; pauper et inops laudabunt nomen tuum.* Id est, ne permittas *humilem* populum tuum a te reverti *confusum*, si non impetret quod postulat: rationem addit quoniam *humilis*, qualis est *pauper et inops*, *laudabunt nomen tuum*, quod despicitur a divitibus et superbis.

23. *Exsurge, Deus, iudica causam tuam; memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab insipiente sunt tota die.* Addit aliam rationem, quoniam *causa populi est causa Dei*: quoniam *improperia*, quae dicuntur ab inimicis, in ipsum Deum recidunt. *Memor esto improperiorum tuorum, eo-*

rum quae ab insipiente sunt tota die. Id est, quae iugiter in te iactantur ab insipientibus populis, inimicis tuis.

24. *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt ascendit semper. Concludit rogans Deum, ut non obliviscatur punire hostes suos, quia illi non obliviscuntur peccare. Ne obliviscaris, etc., id est, ne impunitas dimittas blasphemias inimicorum tuorum: quoniam superbia eorum, etc., id est, superbae voces inimicorum tuorum nunquam cessant, sed iugiter ascendunt a linguis eorum.*

PSALMUS LXXIV.

Synopsis

Est admonitio ad humanum genus, ut omnes iuste vivant, et superbiae tumorem deponant, propter iudicium Dei severissimum ac iustissimum. Titulus psalmi est: In finem, ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph. Omnes huius tituli partes sunt alibi explicatae, si tamen plane explicari possunt: tanta est enim titulorum obscuritas, ut divinatoris opus sit potius, quam explicatoris. Caeterum videtur hic psalmus compositus per modum dialogismi, ut colligitur ex verbis, quae nunc populi iustorum, nunc Prophetarum, nunc Dei esse ipsa se produnt.

1. *Confitebimur tibi, Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum.* 2. *Narrabimus mirabilia tua. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Populus electus, ex notitia Dei, quam habet prae caeteris hominibus, dicit suum officium esse, laudare, orare et praedicare Deum. *Confitebimur tibi, etc., id est, laudabimus te, nec solum laudabimus,*

sed etiam *invocabimus* te, et *praedicabimus* omnibus aliis *mirabilia opera tua*, ut et caeteri discant timere et amare te. Deinde loquitur Deus, qui approbans verba iustorum, promittit suo tempore, se redditurum illis praemium, ut etiam impiis nec confidentibus, nec invocantibus se poenam. *Cum*, inquit, *accepero tempus*, id est, cum aderit *tempus iudicandi* ab aeterno praefinitum a Deo, *tunc ego iustitias iudicabo*, id est, id quod iustum et aequum est decernam. Ita s. Hieronymus, Theodoretus, Bellarminus, Tirinus et alii.

3. *Liquefacta est terra et omnes, qui habitant in ea: ego confirmavi columnas eius*. Iterum loquitur populus iustorum, dicens: Si iuste iudicabis, Domine, quis sustinebit? nam *liquefacta est terra*, id est defluxit, corrupta est, dissipata est propter iniquitates habitantium in ea, *et omnes qui habitant in ea defluerunt et corrupti sunt*, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Respondet Dominus: *Ego confirmavi columnas eius*. Q. d. Non omnis omnino *terra corrupta est*; nam *ego confirmavi columnas eius*, viros perfectos, ob quos *terra subsistit*: semper enim habuit Deus servos suos electos et perfectos.

4. *Dixi iniquis: Nolite inique agere; et delinquentibus, nolite exaltare cornu*. 5. *Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus Deum iniquitatem*. Iam loquitur propheta admonens iniquos, ut desinant ab iniquitate, cum adhuc spes remaneat salutis, et propterea differatur iudicium, ut locus sit poenitentiae. *Dixi iniquis: nolite inique agere*, id est, *nolite perseverare in iniquitate*, et *dixi delinquentibus, nolite exaltare cornu*, id est, *nolite gloriari in iniquitate, nolite superbe defendere peccata vestra, cornu enim superbiam signifi-*

cat. *Nolite extollere in altum cornu vestrum*, idem repetit, *nolite loqui*, etc., id est, nolite in Deum verba blasphemiae evomere, etc.

6. *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus, quoniam Deus iudex est.* Reddit rationem, cur non oporteat adversus Deum loqui iniquitatem; quia videlicet ab illius iudicio nusquam erit effugium; non enim ab oriente iudicabit, ut possis fugere in occidentem, *neque ab occidente*, ut possis latere in oriente, *neque a desertis montibus*, ut abscondas te in aliqua valle inter arborum ramos. Iste enim *Iudex Deus est*, qui ubique est.

7. *Hunc humiliat et hunc exallat: Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.* 8. *Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen faex eius non est exinanita; bibent omnes peccatores terrae.* Dixerat, non esse effugium a iudicio Dei, nunc declarat, dicens: *hunc humiliat*, superbum videlicet, et *hunc exallat*, scilicet humilem. *Quia calix in manu Domini vini meri*, id est, quia in potestate Dei est iustitia vindicativa, quae dum superbos punit, simul exallat et consolatur iustos humiles, quos ab oppressionem impiorum liberat. Porro *calix vini meri* dicitur iustitia vindicativa passim in Scripturis. Isa. LI, Ierem. xxv, Ezech. xxiii, Apocal. xiv et alibi. Ratio autem huius metaphoræ est quia *vinum merum* epotum saepe debilitat adeo totum hominem, ut nec sciat, nec possit se iuvare; ebrius enim amittit iudicium, tremit, cadit, soporatur. Qui punitur ab homine saepe remedium habet; qui autem punitur a Deo, tanquam multo *vino mero* inebriatus repente cadit, et omni prorsus remedio caret. Addit propheta, *plenus misto*, id est, *plenus est calix Domini non simplici vino unius generis, sed mistione variorum generum vini meri*, qua mistione

non temperatur vinum, sed fortius redditur. Id significat iustitiam Dei vindicativam abundare multitudine et varietate poenarum. *Et inclinavit ex hoc in hoc*, id est, iam Deus propinavit multis hunc calicem irae suae, *inclinavit calicem ex hoc ore in hoc os*, transtulit ad varias gentes. *Verumtamen faex eius non est exinanita*, id est, adhuc remanet gravissima pars iustitiae vindicativae, quae servatur in diem ultimi iudicii; et tunc ex ea *bibent omnes peccatores terrae*. Tunc enim non erit amplius locus misericordiae, sed omnes, qui in illa die peccatores invenientur, cogentur bibere *faeces calicis irae Domini*.

9. *Ego autem annuntiabo in saeculum: cantabo Deo Jacob*. Vox haec, prophetae est. Q. d. Illi bibent calicem irae Dei, *ego autem liberatus per gratiam Dei, annuntiabo in saeculum*; deinde declarat, quomodo *annuntiabit: cantabo Deo Jacob*. Haec erit *annuntiatio mea*, hymnus laudis et gratiarum actionis.

10. *Et omnia cornua peccatorum confringam; et exaltabuntur cornua iusti*. Haec Dei vox est, qui subiungit: *et ego confringam omnia cornua peccatorum*, omnem superbiam, omnem gloriam, omnem potentiam. *Et exaltabuntur cornua iusti*, et faciam ut *exaltatur gloria et potentia cuiuscunque iusti*, sed praecipue Christi, qui sic fuit eminenter *iustus*, ut multos iustificaverit, ut dicitur Isaiae LII, *Iustificabit ipse iustus servus meus multos*.

PSALMUS LXXV.

Synopsis

Propter ultima verba, quae habentur in hoc huius psalmi titulo (In finem, in Laudibus, Psalmus Asaph. Canticum ad Assyrios), existimant Theodoretus, Euthymius, Tirinus et alii, in hoc psalmo praedici victoriam, quam obtinuit Ezechias de Sennacherib rege Assyriorum, IV. Reg. XIX, sed dubium non est, altiori sensu praedici victoriam electorum contra hostes tum visibiles, tum invisibiles.

1. *Notus in Iudaea Deus : in Israël magnum nomen eius.* Nunc etiam verum est, et semper erit verum, quod hic dicitur: sed iam per *Iudaeam* et *Israëlem* accipienda est ecclesia et populus Dei, ut alibi diximus. In ecclesia christiana igitur *notus Deus* est, et in populo christiano *magnum est nomen eius.*

2. *Et factus est in pace locus eius; et habitatio eius in Sion.* Ad litteram redditur ratio, cur in *Iudaea* potius, quam in aliis locis olim *Deus notus* esset. *Et factus est in pace locus eius*, id est, *Deus* elegit sibi locum peculiarem, in quo tabernaculum suum collocaret, in civitate *Salem*, quae pacem significat; *Salem* est nomen civitatis Hierosolymae. *Et habitatio eius in Sion*, id est, elegit sibi *habitationem in Sion*, quae est pars altissima et nobilissima Hierosolymae. Sed altiore sensu significatur, *Deum praecipue habitare in mentibus pacem habentium et contemplantium.*

3. *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium et bellum.* Hic iam describit victoriam adversus Assyrios, quorum 185000, una nocte occidit Angelus, et eo modo *confregit Deus arma offensiva et*

defensiva Assyriorum et bellum totum confregit, id est, avertit ab urbe Ierusalem. Altiori sensu significatur, quod Deus maximas victorias oblineat in animis perfectorum.

4. *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis: turbati sunt omnes insipientes corde.* Per apostrophem ad Deum ostendit propheta, unde potissimum orta sit victoria adversus Assyrios. Q. d. Tu, o Deus, nos in tenebris obsidionis mirabili ope et favore tuo, quasi nova luce ac sole illustrasti, a montibus aeternis, id est, ex coelis, supplendum, nobis suppetias mittens. Ita Euthymius et Tirinus. *Turbati sunt omnes insipientes corde*, id est, Assyrii, qui tam stulte et superbe se iactarant, Deumque blasphemarant. Altiore sensu significatur, quod Deus *illuminans mirabiliter a montibus aeternis* habitaculi sui coelestis fortissimos reddat servos suos: et e contrario conturbet hostes.

5. *Dormierunt somnum suum: et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Si intelligatur de assyriis ab Angelo interfectis, sensus est, *dormierunt somnum suum*, id est, somno mortis soporati sunt, *et omnes viri divitiarum*, etc., id est, et isti Assyrii, qui ditissimi erant, et maiores divitias appetebant, post mortem illam repentinam in infernum detrusi, *nihil invenerunt in manibus suis*, neque ex iis, quae habebant, neque ex iis, quae sperabant. Sed altiore sensu doctrina generalis traditur adversus *insipientes corde*, qui magni faciunt bona temporalia, et viros sanctos haec contemnentes despiciunt. Illi enim *insipientes* tempore vitae quasi sopore gravi concupiscentiae oppressi, quiete *dormiunt*; sed ubi per mortem evigilant, *nihil inveniunt in manibus suis*, etc.

6. *Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitave-*

runt, qui ascenderunt equos. Declarat mortem Assyriorum, non fuisse naturalem, sed ab ipso Deo irato immissam. *Ab increpatione tua, id est, te, Deus, increpante, seu puniente, dormitaverunt, somno mortis oppressi, qui ascenderunt equos, id est, equites assyrii.* In sensu spirituali significatur, morte sempiterna plectendos ab irato Deo *insipientes corde, divites superbos, iustorum oppressores, etc.*

7. *Tu terribilis, es et quis resistet tibi? ex tunc ira tua.* Alloquitur nunc propheta Deum, et ex ultione et supplicio tam Assyriorum, quam peccatorum admiratur potentiam Dei, erudiens nos, ut similiter admiremur et timeamus. *Tu, inquit, terribilis es, et quis resistet tibi, quando iratus fueris? Illud enim ex tunc ira tua, significat, ex quo tempore incipit ira tua, et coniungendum est cum praecedentibus, ut coniungit etiam s. Augustinus.*

8. *De coelo auditum fecisti iudicium: terra tremit et quievit.* 9. *Cum exurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.* Occasione accepta, ex ira Dei in Assyrios, transit ad iram quam ostendet in die iudicii. Loquitur autem more prophetico de rebus futuris in praeterito. *De coelo auditum fecisti iudicium, id est de coelo annuntiabis per varia signa, te ad iudicium novissimum venturum esse: et tunc terra contremiscet et prae timore silebit, id est, omnes habitantes in terra silebunt, arescentes prae timore, etc.* Luc. xxi: *Cum exurgeret in iudicium Deus, id est, cum tu, Deus, exsurges de solio tuo coelesti, et venies ad iudicandum, ut salvos faceres, etc.* Hic enim erit finis iudicii, ut omnes *mansueti* qui sunt in terra, non amplius vexentur a crudelibus et superbis peccatoribus, sed omnibus impiis iusto iudicio condemnatis omnes pii et iusti salutem ac requiem sempiternam possideant.

10. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi; et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.* Hoc sequetur ex iudicio ultimo, ut mansueti liberati ab omni oppressione persecutorum hoc tantum beneficium *cogitantes* perpetuo Deum laudent. Illud *quoniam* hic accipitur pro *quare*, vel *propter quod*, ut sensus sit; *quare cogitatio hominis liberati confitebitur tibi* laudes: *et reliquiae cogitationis*, id est, perpetua memoria, quam in ipsis relinquet *cogitatio* tantae rei, *diem festumaget tibi*, in aeternum tibi cantabit et iubilabit.

11. *Vovete, et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* 12. *Terribili et ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terrae.* Concludit propheta psalmum cohortans fideles populos ad *vovendum et reddendum*, ut sic placatum habere possint Deum, qui terribilis est, adeo ut ipsis etiam regibus spiritum, id est, vitam adimat, quando ei libitum fuerit. *Vovete*, inquit, *et reddite*, id est, promittite Deo sacrificia et dona, sed simul fideliter *reddite*. *Vovete*, inquam, *et reddite* vos omnes, qui in circuitu altaris consistentes afferre soliti estis munera. *Vovete et reddite Deo vero, qui terribilis est* in iudiciis suis, et a nemine irrideri aut falli potest: nec solum *terribilis* est erga privatos homines, sed etiam in *reges* et principes, qui aliis hominibus terribiles esse solent.

PSALMUS LXXVI.

Synopsis

Est oratio adversus tribulationes: et S. Augustinus psalmum exponit de miseria humana generatim, ac praesertim de ea, quam sentiunt viri perfecti, qui dum anhelant ad patriam coelestem, molestissime ferunt moram huius exilii. Quid sibi velit hic titulus praefixus: In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph, difficile est divinare. Alii existimant psalmum datum esse ad decantandum ipsi Asaph pro Idithun, id est, vice Idithun. Alii volunt, psalmum cantatum esse alternatim ab Idithun et Asaph. Alii aliter sentiunt.

1. *Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, et intendit mihi.* Indicat anima viri sancti quam moleste ferat moram, et pericula huius peregrinationis. Dicit enim *Voce mea*, id est, animae desiderio *ad Dominum*, vel ut est in hebraeo, *ad Deum*, et repetit *ad Deum clamavi*, quia se videbat in regione dissimilitudinis longe separatum a Deo, et magna voce, magno affectu sibi opus esse. Addit *et intendit mihi*, ostendens sibi profuisse eiusmodi clamorem.

2. *In die tribulationis meae Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum; et non sum deceptus.* Declarat cur et quomodo Deum quaesierit et invennerit. *In die tribulationis meae*, etc., id est, in tempore huius vitae mortalis, quae tota est *tentatio*, ut ait Iob c. vii, *manibus meis nocte contra eum*, vel, ut graece habetur, *coram eo*, id est, in nocte huius vitae (nam tempus huius vitae non est dies, sed nox potius, quia *per fidem ambulamus, et non per speciem*, II. Corinth. v) *manibus contra Deum* extensis illum quaesivi attingere et apprehendere,

et non sum deceptus. Multi hunc versum exponunt de extensione manuum in oratione tempore nocturno, quorum expositio non videtur reprehendenda.

3. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum; et defecit spiritus meus.* Q. d. Quantumvis blandirentur carnales voluptates, noluit inde gaudere anima mea, sciens eas secum trahere graviores tristitias. *Memor fui Dei, et delectatus sum*, id est, ne tamen sine consolatione essem, *memor fui Dei*, qui nullum decipit, et in quo solo solidum gaudium reperitur, *et delectatus sum*. Magnum est hoc arcanum sapientiae Dei, quod in hoc exilio plus delectet memoria Dei, quam praesentia carnalium voluptatum. *Et exercitatus sum; et defecit spiritus meus*, id est, post memoriam Dei, et voluptatem inde haustam, *exercitatus sum* meditando, et mecum ipse colloquendo de moeroribus exilii, et de iucunditate patriae, et prae desiderio *defecit spiritus meus*.

4. *Anticipaverunt vigiliis oculi mei: turbatus sum et non sum locutus.* Declarat, quod dixit, *exercitatus sum*, et ait: *anticipaverunt*, etc., id est, nocte surgebam ad meditandum, antequam excubiae militares vigilare inciperent; nam per *vigilias* intelliguntur custodiae, vel excubiae, ut patet ex hebraeo et graeco. Quod sequitur, *turbatus sum et non sum locutus*; significat ex meditatione periculorum huius vitae prophetam *turbatum* fuisse, sed non fuisse ausum aliquid loqui, quod sciret iudicia Dei esse iustissima quamvis occulta.

5. *Cogitavi dies antiquos: et annos aeternos in mentis habui.* Haec fuit materia nocturnae meditationis. Cogitabat *dies antiquos*, id est, *dies* huius vitae temporalis a principio usque ad finem, et si-

mul cogitabat *annos aeternos* vitae futurae, qui non praetereunt, sed stabiles permanent. Ita s. Augustinus, Genebrardus, Bellarminus. Digna plane cogitatio, quae per totas noctes occupet meditantem.

6. *Et meditatus sum nocte cum corde meo; et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Idem aliis verbis repetit, et ait: Consumpsi integras noctes mecum ipse colloquendo, non ore, sed corde: *et exercitabar*, cogitando videlicet, ac mecum ipse discurrendo; *et scopebam spiritum meum*, id est, et hoc modo variis cogitationibus ac discursibus quasi scopis versabam huc atque illuc animum meum. S. Augustinus et scrutabar *spiritum meum*.

7. *Numquid in aeternum proiciet Deus? aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?* 8. *Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?* 9. *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Haec est agitatio mentis, in qua noctu exercitabatur. Videns enim multitudinem hominum peccatorum, dicebat intra se: Num Deus proiciet omnes homines in interitum sempiternum? ubi est igitur infinita *miseri-cordia eius?* Sed his interrogationibus contrariam sententiam concludere intendit; videlicet futurum aliquando tempus redemptionis generis humani, quo per *miseri-cordiam Dei*, non solum reliquiae iudaeorum, sed etiam multitudo gentium salvaretur. Ait igitur: *Numquid in aeternum proiciet Deus?* Id est, numquid Deus tantam multitudinem generis humani in aeternum proiciet a *miseri-cordia sua?* q. d. non proiciet, sed tempore suo visitabit. *Aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?* id est, numquid Deus non addet aliquando ad iram suam *miseri-cordiam suam*, ut incipiat sibi complacere in gentibus, quas nunc hodie prosequi videtur? Q. d. Ad-

det omnino propitiationem. *Aut in finem misericordiam suam abscindet?* id est, numquid removebit misericordiam suam ab hominibus in aeternum? Q. d. non removebit. *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordiam suam,* id est, non obliviscetur, et non continebit. Facilius est enim Deo continere iram suam, quam misericordiam suam; et ideo quamvis iuste irascatur in peccatores, tamen in ipsa ira non continebit misericordiam suam, sed hanc effundet ut iram mitiget.

10. *Et dixi: Nunc coepi; haec mutatio dexteræ Excelsi.* Praevisa redemptione, dicit propheta, se respirare coepisse a taedio et moerore, quo tenebatur ante. *Et dixi: Nunc coepi,* id est, nunc in cepi respirare, posteaquam Deo revelante cognovi, misericordiam Domini effundendam super genus humanum. Haec est *mutatio dexteræ Excelsi*, id est, mutatio quam praevideo, irae divinae in misericordiam, etc., *mutatio* est admirabilis, quam nemo poterat efficere nisi *dextera Excelsi*, quae Christus est; ipse enim placavit iram Patris. Vel, ut s. Augustinus ait: Haec *mutatio* a pusillanimitate et anxietate mentis meae, in spem; magnanimitatem et quietem, provenit a *dextera Excelsi*, per gratiam suam dispellente priorem nebulam et caliginem. Alii sic explicant: *Nunc coepi* sapere et in melius commutare vitam, nempe praeventus novo lumine, novo robore coelesti. Unde s. Antonius hoc cuique propositum mane faciendum, iterandumque docebat.

11. *Memor fui operum Domini; quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.* 12. *Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor.* Q. d.; antea quidem memor fui aliquorum operum Domini, quae fecit in Aegypto coram patribus nostris; sed nunc, o Domine! memor ero

omnium mirabilium tuorum ab initio mundi. *Et meditabor in omnibus operibus tuis*, considerans videlicet opera iustitiae et misericordiae, opera potentiae et sapientiae, opera naturae et gratiae: *et in adinventionibus tuis exercebor*, mente revolvens et admirans arcana consilia et admirabiles rationes curandi genus humanum, quas sapientia tua adinvenit. Talis adinventio fuit incarnatio Verbi, passio Christi, mysterium Eucharistiae, etc. Porro illud quia ex hebraica phrasi hoc loco exponendum est per *sed*, vel *quin etiam*.

13. *Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es, Deus, qui facis mirabilia.* Dicit generatim mirabilia Domini opera, in quibus cogitandis exerceri solebat, esse sancta, magna et mirabilia, id est, facta sancte, potenter et sapienter. Illud *in sancto* exponendum est, *in sanctitate*, ut sensus sit: *Via*, id est, actio tua, sive operatio tua omnis, *in sanctitate* efficitur, id est, sancta est, nihil enim agis quod non rectum et iustum sit. *Quis Deus magnus*, etc., id est, non solum Deus noster sanctus est, et sancta via eius; sed etiam *magnus* et magna opera eius: et non modo sancta et magna, sed etiam *mirabilia* sunt, ob sapientiae divinae profunditatem, quae in illis cernitur.

14. *Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob et Ioseph.* Descendit ad particulare opus Dei magnum et mirabile. *Notam fecisti in populis aegyptiorum, atque aliarum gentium virtutem*, sive potentiam tuam: *redemisti in brachio tuo*, id est, propria tua potentia et fortitudine, quia non egres alienu auxilio, liberasti per multa signa et prodigia *populum tuum*, qui constat ex *filiis Iacob et Ioseph*. Constabat populus Israëel ex tredecim tribubus, quarum

undecim descendebant ab undecim filiis Iacob, duae autem a filiis Ioseph, scilicet Ephraim et Manasse; et ideo cum patre suo Iacob nominatur etiam Ioseph. Spiritualiter Deus notam fecit potentiam suam in populis omnium gentium, quia redemit eas a tyrannide diaboli, in brachio suo, quod Christus est; sunt autem *filius Iacob et Ioseph* tam iudaei, quam gentiles, ut exponit s. Augustinus.

15. *Viderunt te aquae; Deus, viderunt te aquae: et timuerunt, et turbatae sunt abyssi.* Describit scissionem maris rubri, more poëtico tribuens aquis sensum et tremorem. *Viderunt te, etc.*, id est, *aquae maris rubri* ita siccatae sunt iubente te, ac si maiestatem tuam vidissent, et ob timorem et reverentiam fugissent. *Et turbatae sunt abyssi*, id est, non solum in superficie, sed etiam in imo profundo existentes aquae, quasi a praesentia tua conturbatae recesserunt. Spiritualiter per aquas populi intelliguntur, qui per fidem Deum *viderunt et timuerunt*, agnoscentes peccata sua et iudicia Dei, etc.

16. *Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.* 17. *Etenim sagittae tuae transeunt: vox tonitruum tui in rota.* Post scissionem maris rubri, describit etiam reversionem maris et tempestatem ad obruendos aegyptios, quod fuit quoque opus mirabile Dei. *Multitudo sonitus aquarum*, id est, maximus sonitus et fremitus *aquarum* postea successit, cum, iubente Deo, aquae maris, quae antea steterant instar murorum, magno impetu cadentes, submerserunt et suffocarunt aegyptios, quando etiam *sagittae tuae coelestes*, id est fulmina discurrentia, transibant super eos, et *vox tonitruum tui in rota* sive super rotas curruum Pharaonis, eas subvertebat et in profundum deiciebat. Ita Theodoretus, Euthymius et alii. Spiritualiter, *sonitus aquarum* est

confessio populorum, vox nubium est vox praedicatorum evangelii, fulmina et tonitrua sunt probitas vitae et miracula, quibus veritas fidei confirmatur.

18. *Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae: commota est, et contremuit terra.* Q. d.: haec mirabilia magna, hae *coruscationes*, haec signa *illuxerunt* non solis aegyptiis, sed *orbi terrarum*, longe lateque nota facta sunt, et ideo *commota est, et contremuit terra*, id est, habitantes in terra perturbati sunt, et populum israheliticum formidare coeperunt. Videri potest c. ii lib. Iosue. Spiritualiter significatur his verbis, quod in ps. xviii clarius habetur de praedicatoribus evangelicis: *In omnem terram exivit, etc.*

19. *In mari via tua, et semitae tuae in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.* Aperte describitur transitus filiorum Israël per medium mare. *In mari via tua*, id est, in mari novo et insolito modo invenisti populo tuo viam, *et semitae tuae in aquis multis*, et semitam eidem populo fecisti inter aquas multas. *Et vestigia tua non cognoscentur*, id est, tam admirabili ratione duxisti populum tuum, ut nullus deinceps *vestigia sua* et eandem viam invenire potuerit. Mystice significatur, opera non solum admirabilia, sed etiam investigabilia esse.

20. *Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi et Aaron.* Hic fuit finis omnium operum mirabilium Dei in Aegypto et in mari rubro, ut populum suum inde liberaret, et in terram promissionis introduceret, quod fecit per Moysen et Aaron, primos pastores synagogae. Dicitur autem, *deduxisti sicut oves*, id est, magna facilitate, magna charitate, indefessa providentia *deduxisti* per desertum, et usque ad terram promissionis, quasi ad pascua

uberrima, populum tuum *in manu Moysi et Aaron*, id est, sub horum potestate et regimine. Mystice admonemur, eos, qui ad coelestem patriam perventuri sunt, ducendos esse, *sicut oves, in manu Moysi et Aaron*, ita ut mites et patientes sint, et sinant se regi a magistratu ecclesiastico et civili, etc.

PSALMUS LXXVII.

Synopsis

Decantat beneficia Israëli praestita a peregrinatione in Aegypto usque ad sua tempora. Hoc tamen non solum in hoc psalmo propositum est Davidi, sed etiam adumbrat regnum Christi, qui ex tribu Iuda et familia David existens suum Veteri Testamento dedit, et Novum longe excellentius inchoavit; et hoc videtur admonere titulus Intellectus Asaph, ut nimirum Asaph, cui psalmus cantandus dabatur, intelligeret et alios intelligere faceret mysterium futuri Messiae.

1. *Attendite, popule meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.* David hortaturus populum longissimo sermone, captat initio attentionem, ostendens utilia et magna se locuturum. Per *legem* non intelligit legem Moysi, quae proprie dicitur Lex; sed intelligit verba sua, quibus populum instruere et exhortari volebat. Atque idipsum declarans, ait: *Inclinate aurem vestram*, etc. Porro inclinare aurem hic significat, obedenter et humiliter audire. Ita Bellarminus ex Theodoro et aliis.

2. *Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.* Haec est ratio, cur David petat attente et humiliter audiri verba sua, quia videlicet

verba huius psalmi continent res obscuras et secretas. Per *parabolas* intelliguntur hoc loco similitudines, sive proverbialia. Per *propositiones* intelliguntur aenigmata. Multa sunt autem in hoc psalmo proverbialia et aenigmata, ut suis locis videbimus; sed illud potissimum aenigma hic significari videtur, quod per regnum Davidis regnum Christi, et per montem Sion Ecclesia adumbrabantur. Per illud *ab initio* videtur intelligi tempus liberationis populi a captivitate aegyptiaca: sed s. Matthaeus c. 13, citans hunc locum, declarat, hoc initium sumendum esse de initio mundi. Est igitur sensus: Proferam sententias, quae fuerunt absconditae ab initio mundi.

3. *Quanta audivimus et cognovimus ea: et patres nostri narraverunt nobis.* 4. *Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.* 5. *Narrantes laudes Domini, et virtutes eius et mirabilia eius quae fecit.* Narraturus historiam rerum gestarum, sub quibus tegebantur mysteria abscondita a constitutione mundi: docet eam historiam accepisse se a patribus, qui et ipsi a maioribus suis acceperant. Porro, quamvis res gestae a patribus narratae non fuerant occultatae a filiis, mystica tamen significatio erat ab eis abscondita.

6. *Et suscitavit testimonium in Iacob: et legem posuit in Israël.* 7. *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis: ut cognoscat generatio altera.* 8. *Filii qui nascentur, et exurgent et narrabunt filiis suis.* Hic incipit narrare res gestas a Deo, quas a patribus accepit: ac primo loco ponit, quod Deus dederit populo israelitico legem et mandata per Moysen: et iusserit eam legem et mandata tradi filiis a parentibus, et sic propagari ad posteritatem. Illud *et* nihil coniungit, sed additur in hebraeo ornatus gratia. *Suscitavit* idem signifi-

cat, quod *constituit* sive *posuit*. Vox *testimonium* hoc loco significat legem, vid. v. 8, ps. xviii. Itaque idem omnino est, *suscitavit testimonium in Jacob*, cum eo, quod sequitur: *Legem posuit in Israël*, id est, dedit Deus legem suam filiis *Jacob*; qui et *Israël* dictus est. Illud *quanta mandavit*, idem est, ac *quae mandavit*, ut habetur in hebraeo, teste Bellarmino.

9. *Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei: et mandata eius exquirant.* 10. *Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans:* 11. *Generatio, quae non direxit cor suum: et non est creditus cum Deo spiritus eius.* Explicat propheta, cur legem dederit populo suo: ut scilicet filii *Israël* non sperarent in diis falsis et idolis gentium, sed in *Deo* vero; nec non ut nunquam obliviscerentur mirabilium *operum Dei*, quae fecit in liberatione eorum de servitute Pharaonis. Praeterea sollicite quaererent, quid vellet ab eis *Deus*. Denique ut non imitarentur ingratitude et infidelitatem maiorum suorum, qui affecti maximis beneficiis a *Deo*, ingratisimi fuerunt. Illud *generatio, quae non direxit cor suum*, significat populum hebraeorum non habuisse cor firmiter directum ad *Deum*, sed ad varia auxilia respexisse. Illud autem, *et non est creditus cum Deo spiritus eius*, significat, non fuit fidelis spiritus populi *cum Deo*, quia saepe deficit a fide et obedientia. Ita s. Hieronymus, Theodoretus, Euthymius, Bellarminus, Tirinus.

12. *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Videtur per similitudinem quandam explicari quod dictum est, populum hebraeum non fuisse constantem in fide et obedientia *Dei*; ut sensus sit, *filii Ephrem*, id est, *israëliae*, similes fuerunt militibus incipientibus praeliari cum hostibus, et mox dimisso praelio terga verten-

tibus. Sic israelitae in deserto non semel promiserunt, se Deo parituros et facturos quae mandasset, et statim, mutata voluntate, cogitabant de reditu in Aegyptum, et contra Deum et Moysen murmurabant. Nominat autem David filios Ephraim, id est, tribum Ephraim, et per illam intelligit totum coetum israelitarum. Ita Bellarminus.

13. *Non custodierunt testamentum Dei: et in lege eius noluerunt ambulare.* 14. *Et obliti sunt beneficiorum eius et mirabilium eius, quae ostendit eis.* 15. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti in campo Taneos.* Id est, in planitie Aegypti, cuius regia dicitur Tanis. Quod metaphoricè propheta dixerat, filios Ephraim, sive israelitas, conversos fuisse retrorsum, iam explicat. Nam cum professi essent, se obedituros Deo, non servaverunt pactum, nec legem Dei impleverunt, et cito obliti sunt beneficiorum Dei, et mirabilium operum, quae Deus fecerat in Aegypto pro ipsis, quaeque a patribus suis narrari audierant.

16. *Interrupit mare et perduxit eos: et statuis aquas quasi in utre.* 17. *Et deduxit eos in nube diei: et tota nocte in illuminatione ignis.* 18. *Interrupit petram in eremo: et adaquavit eos velut in abyssu multa.* 19. *Et eduxit aquam de petra: et deduxit tanquam flumina aquas.* 20. *Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.* Posteaquam attigerat David mirabilia facta in Aegypto coram Pharaone, describit alia facta in egressu, scilicet divisionem maris rubri, ut transiret populus sicco vestigio: item, quae patrata sunt in solitudine, videlicet columnam nubis, quae praecundo ostendebat iter per diem et columnam ignis ostendentem iter per noctem: ac postea sitienti populo eductas aquas de petra. Addit vero

David, post haec omnia mirabilia populum incredulum iterum provocasse Deum ad iracundiam, in deserto *inaquoso* ob aquae penuriam, quae etiam secundo ipsis fuit educta e *petra*. Numer. xx. Illud *statuit aquas quasi in utre*, significat, aquas in unum locum utrimque coactas, et quasi tumido utri inclusas tenuit. Illud *in nube diei*, etc., significat in columna *nubis* per *diem*, et *ignis* per *noctem*. Illud *veluti in abyso multa*, significat ex *petra* fluxisse tantam copiam aquarum ac si *petra* conversa fuisset in lacum profundissimum, ut dicitur in sequenti versu.

21. *Et tentaverunt Deum in cordibus suis: ut peterent escas animabus suis.* 22. *Et male locuti sunt de Deo, dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* 23. *Quoniam percussit petram et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt.* 24. *Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* 25. *Ideo audivit Dominus et distulit, et ignis accensus est in Iacob, et ira ascendit in Israël.* 26. *Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari eius.* 27. *Et mandavit nubibus desuper, et ianuas coeli aperuit.* 28. *Et pluit illis manna ad manducandum et panem coeli dedit eis.* 29. *Panem angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.* 30. *Transtulit austrum de coelo, et induxit in virtute sua Africum.* 31. *Et pluit super eos sicut pulverem carnes: et sicut arenam maris volatilia pennata.* 32. *Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.* 33. *Et manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati a desiderio suo.* Coniungit propheta beneficium panis coelestis cum beneficio aquae productae ex *petra*: quoniam haec erat figura insignis Passionis Christi

et sacrosanctae Eucharistiae: ut explicat Dominus ipse Ioan. vi. et Apostolus I. Corinth. x. Et hoc significavit propheta, cum initio psalmi se parabolas et aenigmata cantaturum pollicebatur. Sed ad expositionem. Postquam commemoraverat David beneficium aquae de petra eductae et infidelitatem populi, transit ad beneficium panis et carnis, et ad novam populi incredulitatem explicandam. Ait igitur: *Et tentaverunt Deum in cordibus suis*, id est, experiri voluerunt, an Deus vere esset omnipotens, et curam gereret populi sui: et ideo *petierunt escas animabus suis*, quas videlicet anima ipsorum desiderabat, ut panes et carnes, Exodi xvi. et Num. xi. *Et male locuti sunt de Deo*, dubitantes videlicet, an posset *in deserto* pascere populum suum, sicut portare potuerat. Ideo *audivit Dominus* murmurationem ex incredulitate procedentem: *et distulit*, hoc est, longe fecit a se populum suum, amovit a benevolentia sua, quin potius convertit benevolentiam in iram et indignationem, et immisit ignem in castra et multos occidit Num. xi. Nihilominus voluit convincere populum infidelem et demonstrare potentiam suam: et ideo *mandavit nubibus desuper, et ianuas coeli aperuit*, id est, nubes aëris rupit, ut ex eis *plueret manna*, quod dicitur *panis coeli*, quia ex coelo aërio pluebat, et *panis angelorum*, quia opera et ministerio angelorum fiebat. *Transtulit Austrum de coelo*, etc., id est, abstulit ex aëre; seu fecit, ne staret amplius *Auster*, sed loco eius *Afrius*, oppositus *Austro*, ut ita commodius ex partibus trans mare rubrum circa occidentem situs deferrentur coturnices in castra hebraeorum. Num. xi, idque in tanta copia, quanta est copia pulveris in littore maris, etc.

34. *Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum; et*

ira Dei ascendit super eos. 35. Et occidit pingues eorum et electos Israël impedivit. 36. In omnibus his peccaverunt adhuc; et non crediderunt in mirabilibus eius. 37. Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione. 38. Cum occideret eos, quaerebant eum: et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum. 39. Et rememorati sunt, quia Deus est adiutor eorum; et Deus excelsus redemptor eorum est. 40. Et dilexerunt eum in ore suo et lingua sua mentili sunt ei. 41. Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius. Demonstrat in his versibus propheta, Deum magno miraculo satisfacisse desiderio Hebraeorum, ut ostenderet potentiam suam, sed non dimisisse impunitam infidelitatem et contumaciam eorum. Hebraeos autem tum conversos fuisse ad obedientiam et fidem, sed non stabili corde, neque perseveranter, ut par erat. *Adhuc*, inquit, *escae erant in ore ipsorum*, id est, nondum consumpserant coturnices, et ira Dei excitata est adversus eos, et occidit ex eis partem maximam, praecipue *pingues et electos*, id est, primarios, ditiores, nobiliores impedivit, quominus ingrederentur terram promissam. Hoc autem illis accidit, quia peccaverunt in Deum infidelitate sua, et non credentes mirabilia illa ab omnipotentia Dei fieri, sed casu accidisse, ut coturnices ad eos deferrentur. Ideo morte puniti sunt tanta velocitate, ut *defecerint dies eorum in vanitate*, velut fumus aut umbra. Ipsi autem cum flagellarentur a Deo, redibant ad cor et *quaerebant* adiutorium Dei, *et diluculo*, id est, continuo *veniebant ad eum* supplices, misericordiam eius implorantes: et tunc ad memoriam revocabant beneficia Dei priora. Sed non erat stabilis et vera conversio eorum, sed metu extorta et ficta; nam

ore quidem amorem et devotionem erga Deum profitebantur, sed mentiebantur: quia *cor eorum non erat* vere directum ad Deum, *nec fideles* permanebant in servanda promissione *et pacto cum Deo inito*. Utinam non imitemur et nos christiani hanc Hebraeorum inconstantiam! quam multi enim sunt ex nobis, qui in periculo vitae constituti promittunt et vovent Deo et sanctis eius morum emendationem; et periculo evitato, redeunt ad pristinam vitiorum consuetudinem? sed Deus non irridetur, et qui tales sunt, non effugient iudicium eius.

42. *Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum; et non disperdet eos.* 43. *Et abundavit ut averteret iram suam; et non accendit omnem iram suam.* 44. *Et recordatus est, quia caro sunt: spiritus vadens et non rediens.* 45. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso?* 46. *Et conversi sunt et tentaverunt Deum: et sanctum Israël exacerbaverunt.* 47. *Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.* Confert nunc bonitatem Dei cum malitia hominum, ac dicit: Deum quidem flagellasse populum suum, sed non esse oblitum misericordis naturae suae; et ideo non tam severe in illos animadvertisse, ut peccata eorum merebantur. Nam *propitius erit peccatis eorum, et non disperdet omnino populum suum*. Ipsi quidem digni erant ultimo exterminio, sed misericordia Dei fecit, ut aliqui remanerent. Pergit propheta et ait: *Et abundavit ut averteret iram suam*, id est, abundanter et copiose avertit iram suam, quia multum remisit de poena, et hoc modo temperavit, sive *avertit iram*, quia *non accendit iram suam*, ut iuste facere potuisset. *Et recordatus est quia caro sunt*, etc., accessit ad rationem miserandi natura hominis post

originale peccatum infirma et mortalis, obnoxia carnalibus concupiscentiis. Et vita hominis sicut ventus, qui vadit huc illuc flans, postea evanescit, nec revertitur. Infirmi-
tatem ac instabilitatem hominis propheta probat, dicens: *Quoties exacerbaverunt*, etc. instabilitate sua, videlicet nunc promittendo fidem et obedientiam, nunc contra obloquendo et recalcitrando; nam *conversi sunt* a bono proposito et *tentaverunt Deum*, experiri volentes, an vere Deus omnipotens esset, et hoc modo *sanctum Israël*, id est, Deum, *exacerbaverunt*. *Non sunt recordati*, etc., Denique tanta fuit mutabilitas et stultitia Hebraeorum, ut statim obliti sint signorum et prodigiorum maximorum et plurimorum, quae manus Dei fecit, cum eos de servitute aegyptiaca liberaret. Atque occasione huius versiculi describit propheta signa et prodigia, quae Deus fecit pro liberatione sui populi, et ait:

48. *Sicut posuit in Aegypto signa sua et prodigia sua in campo Taneos.* 49. *Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum ne biberent.* 50. *Misit in eos coenomyiam et comedit eos; et ranam et disperdidit eos.* 51. *Et dedit aerugini fructus eorum, et labores eorum locustae.* 52. *Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina.* 53. *Et tradidit grandini iumenta eorum, et possessionem eorum igni.* 54. *Misit in eos iram indignationis suae; indignationem et iram et tribulationem, immissiones per angelos malos.* 55. *Viam fecit semitae irae suae, non pepercit a morte animabus eorum; et iumenta eorum in morte conclusit.* 56. *Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.* 57. *Et abstulit sicut oves populum suum; et perduxit eos tanquam gregem in deserto.* 58. *Et deduxit eos in spe, et non*

timuerunt : et inimicos eorum operuit mare. David non meminit hic omnium signorum, sed praecipuorum, neque ordine illa enumerat, sed ut sibi visum est; sic igitur loquitur: Non sunt recordati Hebraei in deserto operum Domini, *sicut posuit in Aegypto signa*, id est, non sunt recordati, quemadmodum statuerit Deus ingentia miracula, signa potentiae suae *in Aegypto*, et potissimum in huius parte nobiliore, ubi est *Tanis* regia Pharaonis. *Et convertit*, id est, quia *convertit in sanguinem flumina eorum etc.*; per *imbrem* hic non intelligitur pluvia, quae in Aegypto videri non solet, sed ponitur imber pro aqua: itaque David idipsum more suo bis repetit. *Misit in eos coenomyiam*, etc. Exod. viii. *Coenomyia* significat omnis generis muscam, ut habet s. Hieronymus. *Et dedit aerugini fructus eorum*, etc. Exod. x fit tantum mentio locustarum: proinde per aeruginem intelligendae sunt *locustae* vel bruchi (ut vertit idem s. Hieronymus), quae animalia devorant herbas ad modum aeruginis; quod nomen hoc loco sumitur metaphorice. *Et occidit in grandine vineas eorum*, etc. Exod. ix. Ubi non fit mentio pruinae, sed David addit quod Moyses omiserat. *Et tradidit grandini iumenta eorum, et possessiones eorum igni.* Grando enim cum igne fulgurum et fulminum descendebat, nec solum herbas sed etiam iumenta perdebat, ut ibidem legimus. *Misit in eos iram indignationis suae*, id est effectum irae et furoris Dei, tribulationem videlicet magnam. Et hoc idem repetens, ait: *indignationem, etc., immissiones per angelos malos*, id est, quae *tribulatio* fuit immissa *per angelos malos* non in se, sed erga aegyptios. Hebraice enim et chaldaice, teste Tirino, est: *per angelos malorum*, seu damnorum auctores, et ita vertunt s. Augustinus, Euthymius et Theodoretus.

Viam fecit semitae irae suae, etc. Est insignis metaphora, q. d. progressus est Deus in ira et ultione sua, et non pepercit vitae ipsorum a morte; sed occidit omnia primogenita hominum et iumentorum, quae erant primitiae laborum eorum, scilicet Aegyptiorum: laborant enim plurimum homines in educandis filiis tam propriis, quam iumentorum suorum. Illud *in tabernaculis Cham*, significat in Aegypto sic dicta a parente primi habitatoris et possessoris Aegypti, qui fuit *Mesraim* filius *Cham*, filii Noe. *Et abstulit sicut oves populum suum*, etc., occisis primogenitis Aegyptiorum dedit Pharaon facultatem Hebraeis, abeundi, Exod. XII, et tunc duxit Deus populum suum in desertum Arabiae. *Et duxit eos in spe*, id est, cum magna fiducia, ut habet s. Hieronymus. *Et inimicos eorum operuit mare*, quae fuit ultima et maxima plaga Aegyptiorum, Exod. XIV.

59. *Et induxit eos in montem sanctificationis suae: montem quem adquisivit dextera eius.* 60. *Et eiecit a facie eorum gentes: et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* 61. *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israël.* 62. *Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum: et testimonia eius non custodierunt.* 63. *Et averterunt se et non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.* 64. *In iram concitaverunt eum in collibus suis: et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt.* Transit nunc propheta ad historiam libri Iosue et Iudicum, atque ostendit fuisse Hebraeos introductos a Deo in terram sanctam, quam *montem sanctificationis* vocat, quia erat terra montuosa, quam Deus ipse sibi sanctificaverat: dicit quoque eam terram acquisitam a Deo, quia Deus fecit evidentibus miraculis, duce Iosue, ut Israëlitae vincerent bello et expellerent pri-

stinos habitatores idololatrias. Sicque *divisit eis terram in funiculo distributionis*, id est, fune, quali tunc temporis dividi solebant agri et distribui. Vide Ios. xv. Addit vero David, Hebraeos in terram promissionis introductos, non fuisse meliores patribus suis, qui in deserto perierant. Nam ipsi quoque *tentaverunt et exacerbaverunt Deum* servientes idolis, etc., *conversi sunt in arcum pravum*; id est, aliter et alio iacentem sagittas, quam velles; q. d. instar arcus obliqui et fallacis, qui sagittam non in scopum, sed potius in sagittantem retorquet: ita Iudaei non in cultum pietatis, ad quem a Deo dirigebantur, sed contra Deum et Dei legem retorti et perversi sunt. Ita Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii. *In iram concitaverunt eum in collibus suis*, etc. Siquidem in excelsis collibus, praesertim frondosis, collocabant altaria idolorum, ibique eis sacrificabant.

65. *Audivit Deus et sprevit: et ad nihilum redegit valde Israël.* 66. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus.* 67. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum: et pulcritudinem eorum in manus inimici.* 68. *Et conclusit gladio populum suum: et haereditatem suam sprevit.* 69. *Juvenes eorum comedit ignis: et virgines eorum non sunt lamentatae.* 70. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: et viduae eorum non plorabantur.* Hic iam explicat propheta ultionem divinam in peccata populi clamantia in coelum: *et sprevit populum suum tanquam inutilem, et ad nihilum redegit valde Israël*, id est, valde humiliavit, concessa victoria maxima hostibus eorum. *Et repulit tabernaculum Silo*, id est, abiecit *tabernaculum*, in quo erat arca, quod tabernaculum tunc erat in Silo, et in quo tabernaculo Deus aliquo modo habitabat inter homines,

quia inde dabat responsa hominibus. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum*, etc., id est permisit capere arcam a Philisthaeis, quae erat robur et gloria Israëlis, inquit s. Augustinus. Vide I. Reg. iv: *Et conclusit in gladio populum suum*, etc., id est, permisit circumveniri, et undique circumdari gladiis hostium *populum suum*, quem elegerat sibi in haereditatem, id est, in populum peculiarem. *Juvenes eorum comedit ignis*, id est, ira Dei, vel impetus et vis belli, *et virgines eorum non sunt lamentatae*, id est occisis in bello iuvenibus, virgines eis desponsatae non habuerunt qui earum sortem lugerent: itaque illud, *lamentatae*, passive accipiendum est, ut indicat s. Hieronymus. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt*, videlicet Ophni et Phinees, filii Heli. I. Reg. iv.: *Et viduae eorum non plorabantur*, id est, relictas uxores eorum nemo fuit, qui desendo consolaretur, quoniam omnes occupati erant in propriis consanguineis deplorandis, quos ruina communis oppresserat.

71. *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino.* 72. *Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.* 73. *Et repulit tabernaculum Ioseph; et tribum Ephraim non elegit.* 74. *Sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.* 75. *Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in saecula.* 76. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium: de post foetantes accepit eum.* 77. *Pascere Iacob servum suum, et Israel haereditatem suam.* 78. *Et pavit eos in innocentia cordis sui: et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* In hac postrema parte ostendit David vindictam ab ipso Deo sumptam de Philisthaeis. Addit deinde, noluisse Deum, ut ta-

bernaculum amplius esset in Silo, civitate de tribu *Ephraim*, neque ut summa imperii esset in tribu *Ioseph*; sed voluisse, ut tabernaculum statueretur in monte *Sion*, et imperium pertineret ad tribum *Iuda*, et ex hac tribu elegisse *Davidem* regem populo suo, quod est vaticinium de Christo et ecclesia, ut initio dictum est, sed ad ipsa verba: *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus*, id est, praevaluerunt Philisthaei in Hebraeos, non ob Philisthaeorum potentiam, vel Domini impotentiam; sed quia Dominus dormiebat et dormiebat sopore gravi, tanquam *crapulatus a vino*; sed a sopore illo excitatus potentiam suam in Philisthaeos mirifice demonstravit. Dicitur autem Deus dormire metaphorice, quando ita se gerit, ac si non adverteret iniurias, quas illi faciunt iniqui. *Et percussit inimicos eius in posteriora*, immisit enim morbum gravissimum et pudendum in posteriora corporis Philisthinorum, ut simul cruciarentur dolore et rubore. I. Reg. c. v et vi: *Et repulit tabernaculum Ioseph*, id est, noluit ut deinceps tabernaculum sacrum, in quo servabatur arca, esset in Silo, quae est civitas de tribu *Ephraim*, filii *Ioseph*, et tribum *Ephraim* non elegit, ut ex ea eligeret regem; sed elegit tribum *Iuda*, ex qua daret populo suo principem, et elegit montem *Sion* in locum tabernaculi. *Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum*, etc., id est, Deus in monte *Sion*, sive in Ierusalem, quae est terra duratura in aeternum, aedificavit sanctuarium suum firmissimum, quasi cornu monocerotis. Hoc est aenigma potissimum, ut ait Bellarminus quod initio psalmi propheta promisit. Neque enim sanctuarium Testamenti veteris fuit adeo firmum nisi in typo sanctuarii Testamenti novi, neque mons *Sion* aut Ierusalem fuit terra fundata in saecula

nisi in figura ecclesiae christianae. *Et elegit David servum suum*, et sustulit eum de humili loco, ne forte eius virtuti tribueretur tanta exaltatio. Sustulit, inquam, *de gregibus ovium*, id est, de officio et munere pastoritio, quod reipsa exercebat, cum oves foetas sequeretur. *Pascere Jacob servum suum*, etc. Praeposuit enim illum regem populò suo, et haereditati suae, quae *Israël et Jacob* appellatur. *Et pavit eos in innocentia cordis sui*, etc., id est, optimam fuisse divinam electionem eventus probavit. David enim *pavit* et rexit populum Dei in innocentia cordis *et in intellectibus manuum*, id est, in sapientia operis. Quae etiamsi utcunque Davidi convenient, absolute tamen, et perfecte conveniunt soli Christo, cuius figuram David gessit.

PSALMUS LXXVIII.

Synopsis

Est deploratio calamitatis, quae accidit Hebraeis sub Antiocho et caeteris regibus tempore Machabaeorum, ut docent s. Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii. Potest tamen idem psalmus accommodari ad persecutiones, quas passa est Ecclesia a regibus et imperatoribus paganis. Ita citatus S. Augustinus.

1. *Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam. Alloquitur propheta Deum, et in persona populi, qui futurus erat tempore Machabaeorum, conqueritur de vastatione templi et civitatis. Venerunt gentes, pagani scilicet idololatrae in haereditatem tuam, id est, in eam civitatem et provinciam, quam in propriam possessio-*

nem elegisti. *Polluerunt templum sanctum tuum, quod factum est sub Antiocho, I. I. Machab. c. I.* Tunc enim idolum in templo collocatum est, et altaria profanata sunt. *Posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam, id est, ipsam regiam civitatem adeo desolaverunt, ut non videretur amplius civitas, sed tugurium desertum, qualia sunt quae eriguntur ad custodiam pomorum in hortis. I. Mach. III.*

2. *Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus coeli: carnes sanctorum tuorum, bestiis terrae.* 3. *Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem; et non erat qui sepeliret.* Deplorat nunc etiam caedem hominum et barbariem ac feritatem hostium. *Posuerunt morticina, id est, cadavera occisorum Iudaeorum non dederunt sepulturae, sed exposuerunt in escam corvis et canibus. Effuderunt sanguinem eorum, id est, servorum sive sanctorum tuorum in circuitu Ierusalem tanquam aquam, id est, in magna copia, sine delectu personarum, et non erat qui sepeliret, et ideo relinquebantur cadavera illa avibus coeli et bestiis terrae, I. Mach. c. VII.*

4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris; subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.* Deplorat quoque infamiam quae ex persecutione illa secuta est. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris, id est, vicinis nationibus quae despiciebant et irridebant Hebraeos, ut homines imbelles et contemptiles.*

5. *Usquequo, Domine, irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus? David in persona populi precatur finem indignationis divinae: Usquequo, etc., id est, quousque crescet ira tua, et crescendo minabitur nobis ultimum exterminium? Idipsum repetens comparat indignationem Dei, quam zelum*

vocat, igni, qui nisi celeriter extingatur crescere solet in immensum et in cinerem omnia redigere.

6. *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt: et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt.* Orat, converti iram Dei in hostes populi sui. *Effunde potius iram tuam in hostes tuos, qui te non noverunt*, id est, non habent pro Deo, et non invocant *nomen tuum*, quia omnipotentem te esse non credunt.

7. *Quia comederunt Jacob: et locum eius desolaverunt.* Non solum enim isti Deum non invocaverunt, verum etiam populum eius quasi panem consumpserunt, spoliantes, fugantes, interficientes. *Et locum eius desolaverunt*, id est, civitatem Ierusalem desolantes, in solitudinem redegerunt.

8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuae: quia pauperes facti sumus nimis.* Ne videretur populus Dei, dum hostes dignos poena esse iudicat, se ipsum voluisse iustificare, quasi non meritas poenas daret, confitetur peccata sua et parentum suorum, et ad misericordiam patris, non iustitiam iudicis appellat. *Cito anticipent nos misericordiae tuae*, id est, iam ruimus in interitum, nisi velocissime misericordia tua praeveniat. Declarat denique cur tanta celeritate auxilii opus sit, *quia pauperes facti sumus nimis*, id est, afflicti, humiliati, attenuati, egeni divitiarum et virium, etc.

9. *Adiuva nos, Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.* Sensus est: *Adiuva nos Deus salutaris noster*, in hac praesente calamitate, quod ut facias, duo sunt necessaria, et ut liberes nos a persecutione, et ut ignoscas peccatis propter quae in persecutionem incidimus.

Utrumque autem petimus non propter iustitiam et merita nostra, sed *propter nomen* et gloriam tuam.

10. *Ne forte dicant in gentibus, ubi est Deus eorum? et innotescat in nationibus coram oculis nostris.* Ecce cur dixerit propter gloriam nominis tui, nimirum *ne forte dicant gentes, ubi est Deus*, qui adesse solebat Iudaeis, et blasphemetur potentia, vel sapientia Dei, quasi fugerit, aut absconderit se tanquam imbecillus, aut ignoraverit quid acciderit populo suo. *Et innotescat, etc.*, id est, et non solum aliqui ita blasphement, sed divulgetur haec blasphemia inter nationes, nobis ipsis videntibus et audientibus.

11. *Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: introëat in conspectu tuo gemitus compeditorum.* Ergo ne blasphemetur nomen tuum, *introëat in conspectu tuo ultio sanguinis servorum tuorum*, tam immaniter effusi, introëat etiam *gemitus servorum tuorum captivorum*, et in compedibus constitutorum, id est, respice aliquando sanguinem *servorum tuorum occisorum*, et ulciscere; respice et ulciscere servos tuos, qui reliqui sunt, et in compedibus viventes gemunt ad te, Domine.

12. *Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum.* 13. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.* Petit iterum conservationem vivorum et ultionem interemptorum. *Secundum magnitudinem brachii tui, etc.*, id est, quemadmodum brachium tuum robustissimum est, ita fortiter resiste persecutoribus nostris, et posside ut propriam haereditatem reliquias populi tui, *filios videlicet eorum*, qui ab hostibus occisi sunt. *Et redde vicinis nostris septuplum, etc.*, id est, retribue vicinis hostibus nostris poenam longe maiorem,

quam poenam reconde in sinu eorum, ut eam non facile possint excutere. Retribue *improperium, etc.*, id est, sicut *exprobraverunt tibi* imbecillitatem, quasi verus Deus non esses: sic ostende illos vere fuisse imbecilles, et non tam homines, quam miseros terrae vermiculos.

14. *Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae, confitebimur tibi in saeculum.* 15. *In generationem et generationem annuntiabimus laudem tuam.* Vere scribit s. Augustinus illa verba: *Redde vicinis nostris septuplum* et similia, esse potius praedictionem, quam imprecationem: ex illa enim certissima praedictione concluditur psalmus. Illi, inquit, ut meriti sunt, recipient in sinum suum gravissimam ultionem: *nos autem* laudabimus te, et praedicabimus gloriam tuam in saecula. Quod vel maxime implebitur in ecclesia christiana, quae post superatas multas et varias persecutiones, videbit in die iudicii omnes persecutores suos recipere in sinum suum mercedem iniquitatis et ipsa cum rege suo Christo in coelesti Ierusalem laudabit Dominum in saecula saeculorum.

PSALMUS LXXIX.

Synopsis

Cognoscitur ex titulo: praedicitur enim captivitas et liberatio Hebraeorum: quae figura sunt captivitatis generis humani per diabolum, et liberationis per Iesum Christum. Porro titulus est iste: In finem, pro iis, qui commutabuntur testimonium Asaph, psalmus. De particula, in finem, et pro iis qui commutabuntur, dictum est in explicatione ps. XLIV et alibi. Illud, Testimonium Asaph, significat hunc psalmum esse testimonium per Asaph decantatum, quo Spiritus Sanctus testificatur captivitatem Israël et liberationem.

1. *Qui regis Israël, intende: qui deducis velut ovem Ioseph.* Incipit propheta ab invocatione Dei, atque orat, ut exaudiat orationem, et respiciat populum suum. *Qui regis Israël, intende,* id est, tu Deus, qui es proprius rector et pastor populi tui israëlitici, audi orationem, quam fundo pro ipso populo tuo. Deinde repetit primam partem et subintelligit secundam. *Qui deducis velut ovem Ioseph,* id est, tu Deus, qui deducis ad pascua velut ovium gregem populum descendantem ex Ioseph, *intende,* sive auribus percipe, ut vox hebraica sonat, et audi orationem quam fundo pro ipso populo tuo, qui et Israël et Ioseph dicitur.

2. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin et Manasse.* Rogat propheta Deum, ut pie respiciat atque ostendat serenam faciem populo suo. *Qui sedes super Cherubim,* scilicet in Sancto sanctorum, *manifestare coram Ephraim, etc.* Tres istae tribus quae ex Rachele prognatae sunt, castrametabantur in deserto ad arcae plagam occidentalem, id est, ad Sanctum sanctorum. Num. II, v.

18, ita ut arca, et consequenter Deus insidens arcae, semper versaretur immediate ante has tribus, quod specialis erga illas favoris indicium erat. Cui insistens hic propheta rogat: sicut olim, o Deus, singulari favore in deserto semper praesens fuisti tribus istis tribubus, ita nunc quoque te iisdem (et cum illis toti Israëli) singulari ope et auxilio tuo manifesta et praesentem ostende. Ita Theodoretus, et alii.

3. *Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos.* Potentia tua quasi sopita videtur, dum nos affligi sinis ab iniustis persecutoribus nostris: ideo *excita potentiam tuam et veni per auxilium tuum potentissimum, ut salvos nos facias.*

4. *Deus, converte nos; et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Deus saepe nos non respicit, quia nos avertimus ab eo faciem, et convertimus ad res creatas; sed quia sine auxilio Dei non possumus ad eum converti, petit propheta in persona populi Dei, *Deus converte nos*, inspirando nobis amorem tuum, ut aversi a rebus creatis ad te iterum convertamur. *Et ostende faciem tuam*, id est, et simul ad nos *converte faciem tuam*: te enim avertente faciem aegrotamus et perimus; te convertente resurgimus et sanamur.

5. *Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?* Videbat propheta magnam iram Dei exarsisse in populum peccantem, et ideo se non facile posse exaudiri: ideo vehementius orat: *Domine Deus virtutum*, id est, Domine Deus exercituum, quousque irasceris etiam mihi oranti?

6. *Cibabis nos pane lacrymarum; et potum dabis nobis in lacrymis in mensura?* Subintelligitur quousque; ut sensus sit: Quousque sines nos in tanta afflictione morari, ut nihil magis quam lacrymari

nobis libeat, et sic lacrymis quasi cibo et potu sustentemur? Illud *in mensura*, significat abunde, largiter, multipliciter. Ita s. Hieronymus:

7. *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: et inimici nostri subsannaverunt nos.* Haec est causa tanti moeroris et lacrymarum, quia, inquit populus Dei, undique a vicinis gentibus, te nos auxilio tuo destituente, oppugnamur et superamur; et victi deridemur et subsannamur.

8. *Deus virtutum, converte nos: et ostende faciem tuam et salvi erimus.* Repetitio huius versiculi, qui etiam in fine psalmi repetitur, significat hunc esse conclusionem praecipue intentam in toto psalmo. Et vere nihil melius peti potest a Deo, quam ut convertat nos ad se, et ipse convertatur ad nos. Haec enim gratia fons est omnium bonorum.

9. *Vineam de Aegypto transtulisti: eiecisti gentes et plantasti eam.* Ut impetret quod petit, commemorat beneficia Dei erga populum iudaicum, quem de captivitate aegyptiaca liberavit, et in regna Chanaanæorum introduxit. Utitur autem metaphora vineae, qua usi sunt postea alii prophetae, et etiam Dominus ipse, Matth. xxi. *Vineam de Aegypto transtulisti*, id est, populum tuum, quasi vineam de terra sterili Aegypti in terram foecundam Palaestinae transtulisti; et quoniam terra illa optima occupabatur ab inutilibus et silvestribus vitibus, *eiecisti gentes idololatrias*, tanquam inutiles vitès, et *plantasti eam*, vineam tuam videlicet.

10. *Dux itineris fuisti in conspectu eius: plantasti radices eius, et implevit terram.* q. d. Cum transferres vineam de Aegypto in Palaestinam, et vinea ipsa, utpote rationalis progredereetur, tu viam ostendebas quasi *dux itineris* praecedens eam. *Plantasti radices eius, et implevit terram*, id est, con-

firmasti populum tuum in terra promissionis, et propagasti eum, ita ut totam illam terram habitatoribus repletet.

11. *Operuit montes umbra eius; et arbusta eius cedros Dei.* 12. *Et extendit palmites suos usque ad mare; et usque ad flumen propagines eius.* Describit incrementum et propagationem populi israhelici, admiscens metaphoris hyperbolas. *Operuit montes umbra eius*, id est, crevit in altum haec vinea adeo sublimiter, ut esset altior montibus, eosque *umbra* sua tegetet; imo etiam in tantam altitudinem elevata est, ut eius *palmites* essent altiores *cedris Dei*, id est, altissimis in Libano. Significat autem altitudo potentiam et gloriam regni israhelici. *Extendit palmites suos usque ad mare, etc.*, id est, propagata est gens israhelica et multiplicata valde, ut repletet terram promissionis ad occidentem, *usque ad mare* Mediterraneum, et ab oriente *usque ad flumen* magnum Euphratem. Ita Theodoretus, Euthymius, Bellarminus, Tirinus, et alii.

13. *Ut quid destruxisti maceriam eius: et vindemiant eam omnes qui praetergrediuntur viam?* Persistens in eadem similitudine vineae, deplorat miseriam populi, in quam incidit ex indignatione Dei. *Ut quid destruxisti maceriam eius*, id est, quare removisti ab hoc populo auxilium tuum, quod erat quasi maceria claudens undique vineam? *Et vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam?* id est, quare sinis, ut omnes inimici huius populi in illum praevaleant eumque diripiant, quomodo diripiuntur vineae ab omnibus iter facientibus, quando destructa est maceria. Ita supra citati.

14. *Exterminavit eam aper de sylva: et singularis ferus depastus est eam.* Pergit in metaphora vineae, et deplorat gravissimam captivitatem, quae

contigit sub rege Assyriorum, sive Salmanasar, qui totas decem tribus, sive Nabuchodonosor, qui reliquas duas captivas transtulit in Assyrios, eversa penitus civitate regia, incenso templo et regni solio deturbato: hunc enim regem vocat aprum sylvestrem et singularem ferum, qui non vindemiavit, sed eradicavit penitus vineam. Illud *singularis ferus* in hebraeo est, *bestia agri*, quod idem est, cum *apro de sylva*, nam idipsum propheta, ut solet, repetit.

15. *Deus virtutum, convertere: respice de coelo et vide, et visita vineam istam.* Hic iam praedicit per modum orantis propheta adventum Christi, qui vineam reformavit, et aliis colonis custodiendam tradidit, ut legitur Matth. xxi. *Deus virtutum convertere* per misericordiam ad vineam tuam: *respice de coelo, et vide* quam deformata sit, et *veni, ac visita* per teipsum *vineam istam*, de qua visitatione dixit Zacharias Luc. 1, *visitavit et fecit redemptionem plebis suae*, et Dominus ipse Luc. xix, *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.*

16. *Et perfice eam quam plantavit dextera tua: et super filium hominis, quem confirmasti tibi.* Clarius praedicit adventum Messiae: *Et perfice eam vineam, quam plantavit, etc.*, id est, inchoatum opus perfice, ecclesiam testamenti veteris destructam reforma et meliorem redde, quoniam tu eam initio fundasti, et quasi vineam plantasti. *Et super filium hominis*, id est, respice etiam super Messiam, qui filius hominis dicetur, cum sit etiam verus Filius tuus, *quem confirmasti tibi*, in colonum praecipuum vineae tuae, id est, in ducem et principem ecclesiae tuae. Hunc locum de Christo ad litteram intelligunt PP. et graeci et latini, et interpretes passim omnes, testibus Bellarmino et Tirino.

17. *Incensa igni et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.* Id est, vinea incensa igni et suffossa ab hostibus eradicantibus vites, ab increpatione vultus tui peribunt, id est, imperante te, ut cesset vastatio, et quasi increpante ipsam vastationem, continuo peribunt incensio et suffossio, et redibit viriditas et integritas vineae per quod declarat propheta effectum, quem pariet adventus Messiae.

18. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: et super filium hominis, quem confirmasti tibi.* Securus de adventu Messiae, fausta illi precatur propheta, et ait: *Fiat manus tua*, ad protegendum semper et ubique *virum dexteræ tuæ*, id est, virum, quem dextera tua sola proprie formavit et praefecit Ecclesiae, etc.

19. *Et non discedimus a te, vivificabis nos; et nomen tuum invocabimus.* Christo nos regente non amplius *discedemus a te.* *Vivificabis nos* vita gratiae hic in terris; et vita gloriae postea in coelis, et nos tributum reddemus invocationis et laudis et actionis gratiarum in aeternum.

20. *Domine Deus virtutum, converte nos: et ostende faciem tuam et salvi erimus.* Haec est ultima conclusio psalmi, de qua supra diximus.

PSALMUS LXXX.

Synopsis

Est cohortatio ad festos dies rite celebrandos, et simul commemoratio beneficiorum Dei, ob quae dies festi celebrantur, et reprehensio negligentiae et ingratitude Hebraeorum. De psalmi huius titulo: In finem pro torcularibus, psalmus ipsi Asaph dictum est in explicatione psalmi VIII et alibi.

1. *Exultate Deo adiutori nostro; iubilate Deo Iacob.* Hortatur propheta, ut cum Deum laudamus, cum magna cordis laetitia id agamus. *Exultate*, inquit, *Deo adiutori nostro*, q. d., cum exultatione laudate Deum, qui potens est, et fortis ad nos rebus omnibus iuvandos. *Iubilate Deo Iacob*, id est, magna et laeta voce canite laudes Dei nostri.

2. *Sumite psalmum et date tympanum: psalterium iucundum cum cithara.* Hoc dicitur Levitis, quorum officium erat canere psalmos et pulsare tympana, psalteria et citharas, et sensus est, assumite psalmos et incipite canticum; proferte tympanum et incipite pulsationem; nec solum tympanum, sed etiam psalterium et citharam proferte et iucunde pulsate.

3. *Buccinate in Neomenia tuba: in insigni die solemnitatis vestrae.* Explicat, quo tempore sit potissimum iubilandum: *Buccinate in Neomenia tuba*, id est, in novilunio; Hebraei enim noviluniis incipiebant menses et festa celebrabant. *In insigni die solemnitatis vestrae*, praecipue autem in neomenia, sive novilunio insigni et solempni, quae erat neomenia septembris, festum tubarum, Lev. xxiii, et Num. xxix.

4. *Quia praeceptum in Israël est: et iudicium Deo*

Jacob. 6. Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Aegypti: linguam, quam non noverat, audivit. Reddit rationem, cur oporteat cum exultatione psallere in die festo. *Quia, inquit praeceptum in Israël est, id est, psallere, etc., oportet in signum laetitiae et gratiarum actionis, quia hoc praecepit Deus populo suo Israël. Et iudicium Deo, Jacob, id est, et hoc ipsum est decretum, quod servandum est populo Iacob erga Deum suum. Hoc autem praeceptum sive decretum posuit Deus in testimonium, seu commemorationem educti Ioseph, id est, populi Israëliti ex Aegypto, ubi cogebatur audire linguam aegyptiacam, quam non noverat, eo quod barbara esset ac difficilis. Ita Tirinus et alii.*

6. Divertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino servierunt. Hoc est alterum beneficium erga hebraeos in exitu eorum de Aegypto. *Divertit ab oneribus dorsum eius, id est, Deus divertit ab oneribus dorsum Israël, sive Iacob, sive Ioseph, scilicet dorsum populi sui, liberans ab oneribus duris luti et laterum, quibus opprimebatur ab Aegyptiis. Manus eius in cophino servierunt, id est, divertit Dominus ab oneribus dorsum populi sui, cuius populi manus longo tempore in gestandis cophinis, canistris, vel sportis, quibus cogebantur ferre lutum, paleas, lateres, servierunt.*

7. In tribulatione invocasti me et liberavi te: exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis. Ab hoc versu usque ad finem vicissim commemorat Deus beneficia sua in populum; et ingritudinem populi in Deum. *In tribulatione in Aegypto invocasti me, et liberavi te* educens de terra illa, et liberans de durissima servitute. *Exaudivi te in abscondito tempestatis, id est quando te abscondebas propter tempestatem, sive*

persecutionem excitatam in te ab aegyptiis. *Probavi te apud aquam contradictionis*, id est, post haec tam magna beneficia tentavi te per aquae penuriam, ut explorarem fidem et patientiam tuam: sed inveni te impatientem et infidelem. Vocata est autem aqua illa contradictionis, quoniam propter aquam populus contradicere coepit Moysi.

Pulcre hic advertit s. Augustinus omnes qui se subtrahunt servituti Pharaonis, id est, diaboli, mundi, carnis, probari multiplici contradictione, irrisione, persecutione, etc.

8. *Audi populus meus, et contestabor te: Israël, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* 9. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum et implebo illud.* Refert propheta in persona Dei, quam aequas condiciones Deus populo suo proposuerit, et quam amplas pollicitationes addiderit, si pactis conventis stare voluisset. *Audi, populus meus, gens hebraea, contestabor te, id est, palam tibi edisseram, quid a te velim. Israël, si audieris me, id est, si mihi obedire volueris, hoc a te requiro praecipue, ut non sit apud te Deus recens, quem non coluerunt patres tui, sive Deus recens introductus. Idem deinde declarat et repetit, Non adorabis Deum alienum, sive Deum aliarum gentium: Ego enim sum Dominus Deus tuus, etc., optima ratio cur non debeat populus colere deos alienos: Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui redemi te de captivitate, ac transtuli a servitute Pharaonis ad servitutem meam. Quae ratio multo etiam magis convincit christianos ut soli Deo serviant, ut patet consideranti beneficium redemptionis. Dilata os tuum, etc.* Haec est promissio amplissima Dei, cultoribus suis facta, quae sumpta est a meta-

phora cibi. *Dilata*, inquit, quantum potes, *os*, et fauces desiderii tui, quia replebo cibo suavissimo famem tuam, quam nulla res creata replere potest: quidquid enim creatum nobis detur, non satiat, neque explere potest appetitum cordis humani. Expositio desumpta est ex s. Hieronymo, s. Augustino, Theodoro, Euthymio, et Bellarmino.

10. *Et non audivit populus meus vocem meam; et Israël non intendit mihi.* Queritur Deus de ingratitude populi sui, quod tam aequis conditionibus non acquieverit. Illud *non intendit mihi*, ex hebraeo significat, reiecit me, contempsit me, in me respicere non est dignatus.

11. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Horrendum, sed iustissimum flagellum minatur Deus his et aliis contemptoribus suis, ut eis scilicet peccatum fiat poena peccati; id est, sinantur in peccata semper graviora prolabi: hoc est, quod dicit apostolus, Rom. 1: *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Ait igitur Deus: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*, id est, permisi, ut ambularent et operarentur iuxta pravas concupiscentias suas. *Ibunt in adinventionibus suis*, id est, sequentur consilia, nutus et vota sua, non vero leges meas, etc.

12. *Si populus meus audisset me: Israël, si in viis meis ambulasset.* 13. *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: et super tribulantes eos misissem manum meam.* Iterum redit ad promissionem per modum optantis: *si populus meus audisset me, et in viis meis*, id est in legibus meis ambulasset, *pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem*, id est, nullo negotio, facillime et celerrime omnes hostes populi mei, qui nunc eum tantopere vexant, *deiecissem, et super tribulantes eos*, etc., id est,

quia super persecutores populi mei misissem manum potentiae meae et eos contrivissem. Per illud *forsitan*, significatur, Deum non necessario, sed omnino libere agere, et posse pro arbitrio, sive lit, non agere.

14. *Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in saecula.* Hic iam loquitur propheta, et confirmat quod dixerat Deus: *Non audivit populus vocem meam*, proinde per inimicos intelligit iudaeos, qui ex filiis inimici Dei facti sunt. *Inimici Domini*, id est, iudaei rebelles et increduli, *mentiti sunt ei*, quia promiserunt se facturos omnia quae Deus imperasset, Exod. c. xxiv, et tamen nihil eorum opere compleverunt. *Et erit tempus eorum in saecula*, id est et ideo tempus, quo variis calamitatibus punientur, aeternum durabit. Ita Chaldaeus, Theodoretus, Tirinus, et alii.

15. *Et cibavit eos ex adipe frumenti: et de petra melle saturavit eos.* Hic notatur maxima ingratitude iudaeorum, qui *mentiti sunt* Domino, cum tantis eos beneficiis affecisset, eosque cibasset *adipe*, id est, medulla *frumenti*, et de *petra melle*, id est, aqua dulci mellis. Quod contigit primo in deserto: Exod. xvii, et Num. xx: deinde etiam in ipsa terra sancta, quae tam fertilis erat, ut passim etiam in petris apes mellificarent. I. Reg. xiv. Ita Theodoretus, Iansenius, Genebrardus, et alii.

Cacterum adeps frumenti, et mel de petra multo pretiosiora sunt apud christianos, quibus adest sub specie panis corpus Redemptoris, et mel sapientiae coelestis de petra, quae idem Christus est: et tamen non pauci post abrenuntiationem diabolo in baptismo factam, mentiuntur Deo, revertentes ad ea, quibus renuntiaverant; et post gustatum etiam panem de coelo, et mel de petra, revertuntur, ut canes, ad vomitum suum. Proh, quanta ingratitude!

PSALMUS LXXXI.

Synopsis

Est exhortatio ad iudices, ut iuste iudicent: sed ut maiorem efficaciam habeat exhortatio, inducitur Deus summus iudex, increpans iudices minores.

1. *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat.* Dicit propheta Deum semper adesse, cum iudices sententias ferunt, et de ipsis eorum sententiis iudicare, rectaene an iniquae sint: id quod certe multum prodesset iudicibus, si serio cogitarent, in conspectu summi iudicis omnes causas iudicari. *Deus stetit*, id est, semper assistit praesens invisibili maiestate *in synagoga deorum*, id est, in conventu et consessu iudicum, dum causas iudicant, et dum illi iudicant populos, Deus *in medio* eorum praesens assistens iudicat ipsos iudices. Hi autem vocantur dii, quia participant de eminentia potestatis et iudicii divini, unde et vulgo suspiciuntur quasi dii quidam terrestres. Sic Exod. vii: *Constitui te Deum Pharaonis.* Et Exod. xxii: *Dii non detrahes.*

2. *Usquequo iudicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis?* Sive Deus, sive propheta haec dicat, divina reprehensio est. *Usquequo iudicatis iniquitatem*, id est, quamdiu perseverabitis in hoc peccato, inique iudicandi? Et addit causam praecipuam iniquorum iudiciorum; *et facies peccatorum sumitis*, id est, quia facies sive personas peccatorum accipitis: hinc enim saepe oriuntur iniqua iudicia, quia iudices non attendunt ad merita causae, sed ad gratiam hominum divitum et potentium, qui hoc ipso

peccatores sunt, quod cupiant a iudicibus gratiam suam iustitiae anteponi.

3. *Iudicate egeno et pupillo: humilem et pauperem iustificare.* Reprehensum fuit vitium acceptationis personarum. nunc additur vitium oppressionis pauperum. *Iudicate egeno*, id est, causam pauperis et praesertim *pupilli* libenter admittite, diligenter discutite, sollicite expedite, ne cogantur bona sua litigando consumere: *humilem*, id est, hominem abiectum et afflictum, *et pauperem iustificare*, id est, absolvite et iustum declarate. Hoc tamen intelligitur, si vere iustus sit.

4. *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Id est, pauperem eripite de manu potentis, et egenum de manu eiusdem potentis liberate. Idem enim pro more repetit. Porro eripere pauperem de manu potentis est, sententiam adversus potentem iuste pronuntiatam pro paupere, executioni mandare, et reipsa efficere, ut pauper nihil detrimenti a potentiore inimico patiatur. In hoc igitur, inquit Bellarminus, potissimum deberent iudices et principes auctoritatem suam demonstrare: sic enim gratiam Dei, et benevolentiam populorum sibi compararent. Sed quoniam id multi non faciunt, dicit propheta:

5. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulat: movebuntur omnia fundamenta terrae.* Q. d. Neque cognoverunt, quid facti, neque intellexerunt, quid iuris esset in causa: ex qua ignorantia iudicium fit, ut in tenebris ambulent, id est, errent in iudicando, quomodo caeci errant inter ambulandum. Ex hoc autem errore et iniustitia sequitur perturbatio et tumultus, seditio et defectio populorum, quod significatur verbis sequentibus: *Movebuntur omnia fundamenta terrae*, id est, inde fiet, ut ever-

tantur urbes, regna et mundus universus. Nam deficiente iustitia confunditur universa ratio humanae vitae et convictus, inquit s. Hieronymus et Euthymius.

6. *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes.* Ostendit propheta, quam indigna sint praedicta vitia eo sublimi honore, in quo Deus iudices constituit. *Ego dixi*, pronuntiavi, asserui: *Dii estis et filii Excelsi omnes* vos iudices et principes terrae. Vocat autem eos filios Excelsi, vel comparans eos cum angelis, vel ut ostendat iudices non esse deos proprie, sed esse deos, quia filii Dei, id est, ab uno vero Deo dii constituti per participationem auctoritatis iudicandi et iubendi.

7. *Vos autem sicut homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis.* Q. d. Dixi, quod ex Dei munere dii sitis et angelis similes, sed ex peccato, quod habetis ex primo homine, non modo *sicut caeteri homines moriemini*, verum etiam ex proprio vitio vestro, quo abutimini potestate vobis tradita, *sicut unus de principibus coelestibus*, id est, de angelis apostaticis, *cadetis*, et sic de summo gradu ad imum, de magna gloria ad extremam miseriam praecipitabimini. Ita s. Hieronymus, s. Augustinus, Theodoretus, Euthymius et alii.

8. *Surge, Deus, iudica terram: quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus.* Id est, quandoquidem plures iudices abutuntur potestate sua, tu, Deus, summe iudex, exurge, et *iudica terram*, exercens iudicia in ipsos iudices, et liberans innocios ab oppressione iniquorum. *Quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus*, id est, tu gentes omnes haereditario iure possides, et reipsa plene possidebis in die iudicii. Ita Theodoretus, Euthymius et alii. Unde colligimus hanc psalmi conclusionem

prophetiam esse de Christo supremo iudice, qui aliquando, sublato omni principatu et potestate, solus pacifice cum Patre et Spiritu s. regnabit per omnia saecula saeculorum.

PSALMUS LXXXII.

Synopsis

Cum valde diversae sint sententiae de huius psalmi argumento, S. Augustinum sequi libet, qui omnino contendit, hunc psalmum intelligendum esse de bellis Antichristi adversus Ecclesiam. Caeterum quidquid sit de sensu historico, inquit Bellarminus, non potest, nec debet negari, quin praecipua intentio Spiritus S. ad Christum et Ecclesiam dirigatur. Observandum est, hunc psalmum postremum esse ex iis, qui inscribuntur Asaph: et habet psalmus hunc titulum: Canticum Psalmi Asaph; quod, quid significet, ex iam dictis satis colligi potest.

1. *Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris, Deus.* Precatur Deum propheta in persona populi, ut non amplius dissimulet de hostibus vindictam sumere. *Deus, quis similis erit tibi?* id est, nemo tibi comparari potest in potentia et robore: *ne taceas*, id est, ne dissimules, *neque compescaris*, id est, ne te ipse mitiges, et compescas a sumenda vindicta, tu qui Deus es, cui nemo resistere potest. S. Augustinus satis apte ad Christum accommodat, qui in hoc mundo similis hominibus videbatur, et tempore passionis tacuit; sed in die iudicii nemo illi similis erit, et non tacebit, neque iustissimam iram suam compescet.

2. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt; et qui oderunt te, extulerunt caput.* Magna ratio, cur Deus

silere non debeat, hic adducitur; quoniam inimici eius tumultum insolitum excitaverunt, convenientes ex variis nationibus in maxima multitudine adversus populum Dei. Illud *sonuerunt*, significat tumultum gravem, unde existit sonitus inconditus multitudinis. Illud *extulerunt caput* s. Augustinus refert ad antichristum, qui caput erit hostium Christi.

3: *Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus sanctos tuos.* 4. *Dixerunt: Venite, et disperdamus eos de gente: et non memoretur nomen Israël ultra.* Haec omnia proprie pertinent ad tempus antichristi: tunc enim omni conatu contendent omnes impii simul congregati delere castra sanctorum. *Super populum tuum malignaverunt consilium*, id est, consilium malitiosum et astutum inierunt adversus totum populum tuum: *et cogitaverunt adversus sanctos tuos*, id est, malitiosum illud consilium excogitaverunt in perniciem fidelium tuorum. *Dixerunt: Venite, et disperdamus eos de gente*, id est, ut s. Augustinus explicat, de gentibus; ut inter gentes, sive homines nullum locum habeant; *et nomen Israël non memoretur amplius*, id est, ne nomen quidem populi Dei supersit.

5. *Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula idumaeorum et ismaëlitae:* 6. *Moab et Agareni, Gebal et Ammon et Amalec: alienigenae cum habitantibus Tyrum.* 7. *Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Loth.* Describit gentes, quae delere nitebantur populum Dei de terra. *Quoniam cogitaverunt unanimiter simul*, id est, consilium coeperunt uno animo omnes inimici Israël, *simul adversum te testamentum disposuerunt*, id est, foedus pepigerunt, ut vertit s. Hieron. et Chaldaeus adversus populum tuum, *tabernacula idumaeorum*

et ismaëlitae, etc. Isti sunt, qui inter se pactum iniierunt adversus populum Dei: 1. *Idumaei*, seu potius tabernacula idumaeorum, id est, integra eorum castra: sunt autem idumaei, qui descendunt ab Esau. 2. *Ismaëlitae* populi, qui descendunt ab Ismaële. 3. *Moab*, id est populus, qui descendit a filio Loth, qui dictus est Moab. 4. *Agareni*, qui descendunt ex Agar, ancilla Abrahae, sed ex alio marito, cui ab isto dimissa nupsit. 5. *Gebal* est populus Idumaeae fortasse ex posteris Esau; Genes. xxxvi. 6. *Ammon* est populus qui descendebat ex altero filio Loth, fratre Moab; Genes. xix. 7. *Amalec*, est populus descendens ab Amalec, qui fuit nepos Esau, Genes. xxxvi. 8. *Alienigenae*, id est, populus philisthinorum. 9. *Habitanes Tyrum*, sive Tyrii, sic dicti a civitate Tyro. 10. *Assur*, qui venit in auxilium filiis Loth, id est, populus assyriorum, qui iuvabant moabitas et ammonitas adversus iudaeos. Per hos ergo populos significabatur multitudo orientalium barbarorum, qui cum antichristo gravissimam persecutionem movebunt adversus ecclesiam.

8. *Fac illis sicut Madian et Sisarae: sicut Iabin in torrente Cisson*. Praedicat nunc propheta per modum imprecationis exterminium antichristi et exercitus eius, comparans illos aliis persecutoribus, qui similiter perierunt. *Fac illis sicut Madian*, id est, disperde eos, sicut olim tempore Gedeonis dispersisti, ac penitus profligasti madianitas. Iudic. c. vi et vii. *Et Sisarae*, id est, sicut tempore Barach iudicis perdidisti Sisaram, principem militiae Iabin regis, *et Iabin in torrente Cisson*, id est, sicut delivisti ipsum Iabin regem Chanaan cum exercitu suo prope torrentem, qui dicitur Cisson, Iudic. c. iv et v.

9. *Disperierunt in Endor: facti sunt ut stercus terrae*. Locus ubi perierunt Iabin et Sisara cum

exercitu suo, *Endor* fuit. Ios. c. xvi. Ibi ergo perierunt, et *facti sunt ut stercus terrae*, quia cadavera eorum insepulta computruerunt et calcata sunt. Ita Theodoretus, Euthymius, Tirinus et alii.

10. *Pone principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana.* Revertitur ad historiam Gedeonis, qui non solum exercitum madianitarum profligavit, sed etiam paulo post interfecit duos principes madianitarum, *Oreb et Zeb*, et duos reges *Zebee et Salmana*. Iudic. vii et viii.

11. *Omnes principes eorum, qui dixerunt; haereditate possideamus sanctuarium Dei.* Pone, inquit, sicut reges et principes madianitarum *omnes principes eorum* populorum, *qui dixerunt: Haereditate possideamus*, id est, tanquam haereditatem et propriam possessionem vindicemus nobis *sanctuarium Dei*, id est, civitatem Ierusalem, quae erat sanctificata Deo, significat autem Ierusalem, ut saepe diximus, Ecclesiam Dei, quam totis viribus sibi subiacere et captivare conabitur antichristus.

12. *Deus meus, pone illos ut rotam: et sicut stipulam ante faciem venti.* Rota semper circumvolvitur, cum ruit in praecipitium et tandem tota confringitur: etiam stipulae flante vento huc illucque iactantur, donec dissipatae non amplius compareant. Ad hunc modum praedicit propheta per modum imprecationis, Deum acturum esse cum impiis persecutoribus iustorum.

13. *Sicut ignis, qui comburit sylvam, et sicut flamma comburens montes: 14. Ita persequeris illos in tempestate tua: et in ira tua turbabis eos.* Praedicit, velocitatem et facilitatem qua Deus impios illos puniet; nam *sicut ignis qui comburit ligna sylvarum*, inter quae multa sunt arida et velocissime absumuntur, *et sicut flamma comburens montes*, id

est, foenum in montibus, praecipue cum siccum fuerit: *ita*, id est pari facilitate et celeritate *persequeris eos*, et perdes in *tempestate tua*, quod declarans addit, *et in ira tua turbabis eos*. Idem enim est tempestas, et ira: utrumque enim iustum Dei iudicium significat, quod instar vehementissimae tempestatis et turbinis, cui resisti nullis viribus potest, impios percellet, conturbabit et dissipabit.

15. *Imple facies eorum ignominia: et quaerent nomen tuum, Domine.* 16. *Erubescant et conturbentur in saeculum saeculi: et confundantur et pereant.* 17. *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.* Praedicat in fine psalmi, alios ad Deum convertendos ex persecutoribus: alios in pertinacia et obstinatione sua permansuros; sed vel invitos tandem agnituros potentiam Dei. *Imple facies eorum ignominia*, confusione, ut ignominiam suam intelligentes verecundati *quaerant nomen tuum*, id est, quaerant te. Illi autem, qui ex flagellis non molliuntur, sed obdurantur, *erubescant et conturbentur* aeterna confusione, nec solum *confundantur*, sed etiam *periant* in aeternum, et *cognoscant* inviti *quia nomen tibi Dominus*, id est, iam propria experientia intelligant, tibi soli nomen Domini proprie convenire. *Tu solus Altissimus in omni terra*, id est, et cognoscant, quia tu solus praemines potestate super omnes principes universae terrae.

PSALMUS LXXXIII.

Synopsis

Videtur idem fere argumentum huius psalmi esse, quod psalmi xli: Quemadmodum desiderat cervus, etc., quare ibidem synopsis videri potest. De hoc psalmi titulo: In finem, Pro torcularibus filiis Core, Psalmus, etiam alibi iam dictum est.

1. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Haec vox est hominis pii peregrinantis ad patriam. *Quam dilecta*, etc., id est, O quantum diligunt omnes pii tabernacula tua, coelestes scilicet mansiones tuas, o Domine exercituum! *concupiscit et deficit animam meam*, etc. Q. d. Ego certe ita desidero atria illa, ut prae amore langueam, et anima mea deficiat, ac deliquium patiatur, in atria Domini intendens, et pulcritudinem eorum considerans.

2. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Id est, mens et lingua mea exultando laudaverunt Deum vivum, ipse enim est pulcritudo increata et infinita cui suspiro. *Vocat Deum vivum*, seu viventem non solum ad distinctionem idolorum; sed etiam, quia Deus solus est vita et ipse fons vitae, non aliunde accipiens, sed omnibus tribuens.

3. *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* 4. *Altaria tua, Domine virtutum: rex meus et Deus meus.* Optaverat sanctus peregrinus in terra domum coelestem, sed interim, dum eius possessio differtur, consolatur se, quod vel nidulum in terris invenerit, altaria videlicet Domini sui. *Etenim passer invenit sibi domum*, id est, omnia animantia quaerunt sibi locum

aliquem quietis, et ipse etiam passerculus invenit sibi nidum, et turtur quoque sibi nidum parat, *ubi ponat pullos suos*, et cum eis secure quiescat. *Altaria tua, Domine*, id est, mihi vero altaria tua nidi sunt, ubi interim paulisper quiescam, et ubi vota mea et casta desideria, precesque, et laudes quasi pullos reponam. *Altaria inquam tua, rex meus et Deus meus*, id est, qui me regis, dum ut passer huc illucque vagor, et qui me consolaris, dum ut turtur solitarius gemo.

5. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.* Q. d. Ego quidem in hoc nidulo, quem hic interim in terris inveni, paulum quiesco, sed illi vere beati sunt, illi felicissime requiescunt, *qui habitant in domo tua*, ubi pax et securitas sempiterna est, ubi illis hoc solum superest negotium, ut te laudent in saecula saeculorum.

6. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* Dixerat, beatum esse qui habitat in domo Domini, nunc addit beatum etiam esse, qui fretus divino auxilio decernit firmiter in corde suo, non haerere in valle, sed ascendere semper magis per gradus virtutum, donec tandem etiam ad felicissimam illam Domini domum perveniat. Ait igitur: *Beatus ille vir est, cuius auxilium non in propriis viribus, sed in te, Domine, est, hic enim ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*, id est, disposuit semper ascendere ad maiorem virtutis perfectionem, dum est in hac mortali vita, dum degit in hac valle lacrymarum, *in loco, nempe, quem Deus ad id posuit et destinavit.* Ita s. Augustinus, Bellarminus, Tirinus. Econtra infelix, qui per varia scelera disponit descensiones ad infernum, inquit s. Hieronymus.

7. *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Demonstrat propheta initium, medium et finem praedictae ascensionis viri iusti. Initium est iustificatio, medium impletio legis, finis visio beatifica. *Etenim legislator* Deus, qui dedit legem et eam viam esse voluit ad vitam, *dabit quoque benedictionem*, abundantem videlicet gratiam, iustificando a peccatis, infundendo charitatem, pellendo timorem. *Ibunt de virtute in virtutem*, id est, accepta gratiae benedictione, proficient quotidie in melius, et fient semper spiritu, et gratia Dei fortiores ac robustiores, ut commodius ascendant in coelestem *Sion*, ubi facie ad faciem *videbitur Deus Deorum*, qui est Deus non solum coeli et terrae, sed etiam angelorum et beatorum, qui participatione sunt Dii.

8. *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Iacob.* Revertitur ad gemitum suum, cupiens etiam ex illis esse, qui sic ascendunt. *Exaudi orationem meam*, qua peto gratiam ambulandi de virtute in virtutem, etc. Deinde id ipsum aliis verbis repetit.

9. *Protector noster aspice, Deus: et respice in faciem Christi tui.* Idem, quod supra, repetit, sed maiori efficacia. *Respice in faciem Christi tui*, id est, respice verum principem populi tui, Messiam videlicet, ac propter eum ac propter praevisa passionis eius merita aspice in me et protege me, etc.

10. *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.* 11. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Ut ostendat sanctus peregrinus Dei, se non petivisse protectionem adversus temporalia mala; sed adversus tentationes et pericula spiritualia, quae

impediunt ascensum ad domum Dei, subiungit: tantam esse coelestis patriae felicitatem, ut optabilius sit, unum diem tantum ibi manere, quam mille diebus alibi; et melius sit, in eo loco etiam inter ultimos sedere, quam alibi inter primos. Hae duae comparationes, si serio cogitantur, magnum affectum in corde puro gignere possunt.

12. *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.* Consolatur propheta virum iustum ascendentem in valle lacrymarum, et ad patriam anhelantem: promittit enim illi a Deo gratiam et gloriam. Probat autem gratiam et gloriam dandam a Deo iustis hominibus: nam *quia misericordiam diligit*, miserebitur, et miserendo *gratiam dabit*, et *quia veritatem*, id est, iustitiam diligit, dabit *gloriam*, et reddet fideliter quod promisit diligentibus se.

13. *Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia; Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.* Q. d. Deus misericors et iustus, *non privabit bonis* gratiae et gloriae (haec enim sola sunt vera et absolute bona) *eos qui*, semel iustificati, *ambulant in innocentia*, perseverantes in fide, spe et charitate. Concludit deinde psalmum conversus ad Deum: *Domine*, inquit, *virtutum*, id est, exercituum, *beatus* erit qui in te confidit confidentia vera ac solida, quam fides vera et conscientia bona gignere solet.

PSALMUS LXXXIV.

Synopsis

Agitur de captivitate generis humani sub principe tenebrarum, a qua liberamur per Christum. In primis verbis praedicitur haec liberatio, in reliquis oratur pro executione praedictionis: exponitur autem praedictio de re futura per verba temporis praeteriti, quoniam quae nobis futura sunt, in Dei praescientia et decreto iam facta sunt. Titulus: In finem, filiis Core, Psalmus, nihil habet novi.

1. *Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Iacob.* Initio psalmi propheta Spiritu s. revelante aeternum Dei decretum de futura liberatione nobis aperit. *Benedixisti, Domine, terram tuam*, id est, propter peccatum primi hominis maledixisti quidem terrae; sed scio etiam te revelante, quod in mente tua, in decreto tuo benedixisti terram tuam, decrevisti enim in aeterno beneplacito tuo terram tuam, quam fecisti, visitare et benedicere omni benedictione et gratia, mittens ad eam Unigenitum tuum. *Avertisti captivitatem Iacob*, id est, iam in aeterno decreto tuo, per mortem Filii tui placatus, removisti, sive dissolvisti captivitatem populi tui Iacob, ut deinceps fruatur libertate filiorum Dei.

2. *Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.* Declarat modum, quo Deus benedicens terrae suae dissolvit captivitatem. *Remisisti iniquitatem plebis tuae*, id est, in mente et decreto tuo condonasti iniquitatem populo tuo, ob quam eundem tradideras diabolo tanquam ministro iustitiae tuae. *Operuisti omnia peccata eorum*, est repetitio et declaratio eiusdem rei. *Operuisti*, id est, quasi

abscondisti a facie tua , ut non videres ad puniendum.

3. *Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.* Reddit causam, cur Deus remiserit iniquitatem plebi suae, ac dicit, ideo dimisisse, quia placatus fuerat et iram deposuerat. Illud *omnem iram* significat ad plenam satisfactionem. Illud, *avertisti ab ira indignationis tuae*, idipsum repetit, et hunc sensum habet: *Avertisti te ab ira et indignatione tua.*

4. *Converte nos , Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.* Incipit nunc propheta orare in persona populi Dei pro executione et adimpletione illius decreti divini, de quo dixerat: *Converte nos, Deus, salutaris noster*, id est, incipe salutem nostram operari, tu, Deus, Salvator noster, quod facies, si nobis bonam voluntatem conversionis inspires. Et ut hoc misericorditer facere incipias, *averte iram tuam a nobis*, id est reconciliare nobis, oblitus offensionum, quae te nobis inimicum reddiderunt.

5. *Nunquid in aeternum irasceres nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?* Persistit in eadem petitione, q. d. satis diu iram tuam iustissimam quidem portavimus, sed ne differas misericordiam impertiri et pacem nobis reddere.

6. *Deus, tu conversus vivificabis nos; et plebs tua laetabitur in te.* Declarat effectum, qui sequetur ex reconciliatione; inde enim fiet, ut homo lucretur vitam, et Deo reddatur laus. *Deus, tu conversus ad nos per depositionem irae et reconciliationem, vivificabis nos*: nam *stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna.* Rom. vi. *Et plebs tua vivificata et respirans ob tam ingens beneficium, laetabitur in te*, ac laetabunda cantabit laudes tuas.

7. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.* Petiit propheta mitigationem irae divinae, petiit reconciliationem et vivificationem: petit nunc adventum Salvatoris, per quem haec nobis praestita sunt. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*, id est, fac, ut plaue cernamus, et experimento certo discamus misericordiam illam, qua ab aeterno decrevisti benedicere terram tuam. *Et salutare tuum da nobis*, id est, mitte nobis Salvatorem Filium tuum; tunc enim vere ostendes omnibus hominibus misericordiam, et benignitatem et gratiam tuam.

8. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Ut certos nos reddat propheta eorum, quae dicturus est, admonet, se ea loqui, quae ipse prius a Domino audivit. *Audiam*, ait, *quid loquatur in me Dominus Deus*, id est, quod audio a Deo, hoc loquor, ideo et nunc exposita petitione, *audiam, quid Dominus respondeat*, ut idipsum caeteris manifestem. Dicit autem, *quid loquatur in me*, ut significet, locutionem Dei ad prophetas esse interiorem. *Quoniam loquetur pacem in plebem suam*, id est, scio autem Deum locuturum esse *pacem in plebem suam*. Adeoque summa verborum Dei est, annuntiatio et promissio pacis per adventum Messiae.

9. *Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.* Explicat, quod dixit in plebem suam, promittit enim Deus pacem plebi suae, sed non toti; nam in plebe Dei sunt boni et mali; malis autem pax non convenit, sed bonis. Qui vero sint sancti, quibus pax promittitur, explicatur per illa verba: *Et in eos qui convertuntur ad cor*; tunc enim incipit sanctitas, et consequenter inchoatur pax, cum homo ab exterioribus ad interiora convertitur.

10. *Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.* Adveniente Messia praedicabitur pax, sed diu postea exhibebitur; veruntamen salus, id est, gratia sanitatis et aliorum miraculorum praesentissima erit; inde vero maxima gloria Deo exurget, et hoc est, quod propheta dicit: *Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius.* Id est, salus Dei, sive Christus ipse Salvator prope erit ad sanandum per omnipotentiam suam omnes timentes eum, omnes videlicet colentes eum timore sancto, *ut inhabitet gloria in terra nostra*, id est fient ista magnalia Salvatoris frequentissima, ut gloria Dei manifestetur, et inhabitet in terra promissionis, ad quam proprie Salvator mittetur.

11. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia et pax osculatae sunt.* Aperit hoc loco propheta mysterium aliud in adventu Messiae complendum; videlicet *misericordia et veritas*, sive iustitia, *obviabunt sibi* tempore Messiae, cum alias in diversa pergere viderentur, cum haec puniat, illa ignoscat. Futurum enim erat per Christi passionem, ut genus humanum misericorditer liberaretur, et tamen divinae iustitiae plenissime satisfaceret. *Iustitia et pax osculatae sunt*, id est, *iustitia* punitiva, quae prius *veritas* nominata est, et *pax* sub nomine *misericordiae* significata, amicissime coniungentur. Hoc eleganter prosequitur s. Bernardus, Serm. I. de An-
nunt.

12. *Veritas de terra orta est: et iustitia de coelo prospexit.* Iam explicat mysterium Incarnationis, rursus utens verbo temporis praeteriti, pro verbo temporis futuri, more prophetarum. *Veritas de terra orta est*, id est, Christus qui veritas est, de virgine Maria nascetur. *Et iustitia de coelo prospexit*, et

tunc iustitia de coelo manifestabitur; nunquam enim plene cognitum fuisset, quanta sit ira Dei adversus peccatum, nisi expiari illud Deus voluisset per mortem Unigeniti Filii sui.

13. *Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Pergit explicare mysterium Incarnationis. *Etenim Dominus dabit benignitatem*, id est, emittet de coelo Spiritum s., qui virginem obumbrabit; et sic terra nostra neque arata, neque sata, sed virgo intacta dabit fructum suum.

14. *Iustitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.* Q. d. Christus quasi sol quidam et vera lux mundi radios iustitiae et sapientiae praemittet, et sic *ponet in via gressus suos*, id est aggredietur iter peregrinationis suae, ut multos alios perducatur ad patriam. Ita igitur concludendo propheta demonstrat, Messiam omnino iustum et sanctum futurum esse.

PSALMUS LXXXV.

Synopsis

Hic Psalmi titulus (Oratio ipsi David) satis indicat, hunc psalmum nihil aliud esse, nisi orationem Davidi inspiratam, cum amaro esset animo et consolatione indigeret.

1. *Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego.* Incipit orationem a magnitudine Dei et vilitate sua, quae est optima ratio precandi. *Inclina*, inquit, *Domine*, etc., id est, tu, qui excelsus es, *inclina* ad me, qui in imis iaceo, *aurem tuam*; *exaudi me*, quoniam mendicus iaceo ad ianuam divitis, etc.

2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: saluum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.* Explicat in quo cupiat exaudiri ac primo petit, quod est vere primum in intentione, et quod ipse Dominus primum quaeri iussit: *Primum quaerite regnum Dei*, etc. Matth. vi: *Custodi animam meam*, id est, conserva vitam animae meae, cui tam multi in hoc exilio insidiantur. *Quoniam sanctus sum*, id est, studiosus sanctitatis et membrum sanctae Ecclesiae tuae, tuoque servitio et cultui dicatus per circumcisionem et ceremonias, allegorice per baptismum et alia sacramenta. *Saluum fac servum tuum*, etc., idem repetit aliis verbis: ideo enim cupit custodiri animam suam, ut non perdat salutem aeternam.

3. *Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die; laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.* Petiit salutem animae, quae est finis omnium desideriorum; nunc petit medium ad finem, laetitiam videlicet spiritualem, qua fortiter toleret tentationes et pericula exilii. *Miserere mei, Domine*, id est, misericorditer exaudi orationem meam, *quoniam ad te clamavi tota die*, id est, quoniam ardentem et perseveranter oravi. *Laetifica animam servi tui*, haec est petitio, quam misericorditer exaudiri petit: *Laetifica*, etc., id est, undique angustiis premor, nihil occurrit nisi amarum, etc., ideo laetifica animam servi tui, *quoniam illam ad te levavi*, id est quoniam non invenies requiem et laetitiam in ulla re creata, ad te Creatorem pennis cogitationis et desiderii animam meam levavi.

4. *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te.* Haec est ratio, cur animam suam ad Deum levaverit pro con-

solatione recipienda, quia Deus *suavis est* et dulcis, nec solum *suavis est*, sed etiam *mitis*, ut ad se accedentes non repellat, et imperfectum nostrum toleret, imo *multae misericordiae est*, quia facile admittit et recipit, et se gustandum praebet *omnibus invocantibus se*, non accipiens personas divitum et pauperum, etc.

5. *Auribus percipē, Domine, orationem meam; et intende voci deprecationis meae.* Repetit primam partem versus 1 ad affectum ostendendum erga rem desideratam et petitam.

6. *In die tribulationis meae clamavi ad te; quia exaudisti me.* Q. d. Omni tempore peregrinationis tribulationem et dolorem inveni, et ideo semper *clamavi ad te*, et eadem fiducia *clamavi*, quia tu semper *exaudisti me*, sive me semper exaudire solitus es.

7. *Non est similis tui in diis, Domine; et non est secundum opera tua.* Reddit rationem, cur ad solum Deum confugiat, illum invocet, atque ad eum animam levet; quia videlicet nemo sit Deo similis, neque in essentia, neque in potentia, neque in sapientia, neque in bonitate, non tantum inter homines, sed etiam inter deos, sive iam per Deos idola intelligantur, sive dii per participationem sapientiae, iustitiae, auctoritatis, etc., quales sunt angeli, homines iusti, principes et iudices terrae. Illud *secundum opera tua*, significat nullum opus, quorumcunque horum deorum comparari posse cum operibus Dei nostri.

8. *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum.* Hic colligimus versum superiorem potissimum intelligendum esse de idolis seu diis falsis, qui ab errantibus adorabantur tanquam veri dii:

probat enim propheta nullum ex diis esse similem Domino Deo nostro, ex hoc, quod aliorum deorum cultus tandem aliquando cessabit, et manifeste apparebit falsitas et vanitas eiusmodi deorum; cultus autem Domini Dei nostri sempiternus erit. Quod autem hic dicit propheta, partim impletum est in Ecclesia Christi, partim implebitur in die iudicii.

9. *Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.* Haec est ratio, cur cessabit cultus inanum deorum, et omnes gentes adorabunt et glorificabunt Dominum, quoniam ipse solus est Deus, vere magnus, faciens mirabilia, quae nullus alius facere potest, quod in die iudicii potissimum patebit.

10. *Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Redit ad orationem, qua postulat dirigi in hac peregrinatione et exilio, ne forte aberret a via, quae ducit ad patriam, et simul postulat consolationem spiritualem, quasi refectionem, ne deficiat in via. *Deduc me, Domine, in via tua*, id est, per auxilium gratiae tuae ostende mihi viam tuam, et sic *ingrediar iter in veritate tua*, id est, iuxta veritatem fidei et legis tuae. *Laetetur te laetificante et consolante cor meum, ut timeat nomen tuum*, id est, non affecto consolationem propter consolationem; sed ut per eam quasi cibo recreatus, perseverem in sancto timore tuo. Ita fere Euthymius, Bellarminus, Tirinus, etc.

11. *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in aeternum.* Orationi adiungit gratiarum actionem; nihil enim utilius est ad impetranda nova beneficia, quam memorem et gratum se ostendere praeteritorum.

12. *Quia misericordia tua magna est super me:*

et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Hoc est beneficium pro quo potissimum gratias agit; quia videlicet Deus ex magna misericordia sua, non ex meritis ipsius supplicantis, eruerit animam eius *ex inferno inferiori*, id est, iustificaverit eum a peccatis; ob quæ ad infernum inferiorem descensus erat, nisi per gratiam liberaretur. Ita s. Hieronymus, s. Augustinus, s. Bernardus, serm. II. de Assumpt.

13. *Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.* Iuxta s. Augustinum, ait homo Dei, liberatus per gratiam Christi ab inferno inferiore, et interim praelians cum hostibus animæ suæ, et graviter ingemiscens: O Deus meus, ecce *iniqui insurrexerunt adversus me*, neque pauci, aut debiles sunt, sed *synagoga potentium*, id est, congregatio magna fortissimorum hostium quaesierunt animam meam, ut perdant eam, et excaecati atque obdurati *non proposuerunt te ante conspectum suum*, id est, non cognoverunt te esse protectorem iustorum, etc. Alii dicunt, quod David petat liberari a multitudine hostium corporaliū, qui vitæ eius insidiabantur.

14. *Et tu, Domine Deus miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax.* Petit adversus hostes auxilium a Deo, et primum prædicat multis nominibus bonitatem Dei, ut ostendat, se non temere a tam bono Domino auxilium sperare. *Miserator*, id est, pio et paterno affectu miserans: *misericors*, id est, gratiæ largitor et gratificans: *patiens*, id est, longanimis, sive tardus ad iram: *multæ misericordiæ et verax*, id est, multus in misericordia et veritate, sive fidelitate. Ita Bellarminus ex hebraeo.

15. *Respice in me et miserere mei, da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.* Explicata tot nominibus Dei benignitate, nunc petit eam in se converti. *Respice in me* oculis tantae bonitatis tuae, *et miserere mei* tu, qui tam multus es ad miserendum. *Da imperium tuum puero tuo*, id est, in hoc peto, ut miserearis mei, ut non praevalent hostes tam multi in servum tuum, sed contra des servo tuo robur et fortitudinem (id enim hic significat imperium) ad eos vincendos et subiiciendos; et hoc modo ab eorum occultis insidiis, sive manifestis persecutionibus, eripiar.

16 *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur; quoniam tu, Domine, adiuvistis me et consolatus es me.* Concludit petens aliquod externum signum, unde constet etiam apud adversarios, Deum adiutorem et consolatorem esse servorum suorum. *Fac mecum signum in bonum*, id est, ostende in me signum aliquod, quod rem bonam, id est, gratiam et favorem tuum manifestet: *ut videant* illud signum, etiam *qui oderunt me, et confundantur*, diffidentes videlicet de victoria. *Quoniam tu, Domine, adiuvistis me*, etc., id est, quoniam revera me iam adjuvisti in certamine, et consolatus es me in tribulatione per internam gratiam tuam, ostende etiam exterius signum aliquod huius tui favoris erga me. S. Hieronymus et s. Augustinus id exponunt de signo crucis. Alii de signo, quod rex Achaz accepit ab Isaia: *Ecce virgo concipiet*, etc. Isai. vii.

PSALMUS LXXXVI.

Synopsis

Sub allegoria florentis Hierosolymae Ecclesia Christi, tum militans, tum triumphans depingitur: Psalmi titulus, Filiis Core, Psalmus Cantici, ex iam dictis facile potest intelligi.

1. *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Incipit propheta a fundamentis laudare civitatem Ierusalem, quae significatur per pronomen *eius*, ut sensus sit: *Fundamenta eius* civitatis quam mente intueor, *in montibus sanctis*, scilicet Moria et Sion. Allegorice super apostolos. Ita Arnobius, Hieronymus, Euthymius, Augustinus, Theodoretus, etc., et patet ex Apoc. c. xxi, v. 19: *Diligit Dominus portas*, id est, urbem Sion, *super omnia tabernacula Jacob*, id est, plus quam reliquas omnes civitates Israël. Allegorice ecclesiam Christi plus quam Synagogam.

2. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Scilicet a Spiritu s. per prophetas, de civitate maxime coelesti, et etiam de terrena Ierusalem, ut typum gerebat Ecclesiae, multa gloriosa dicta sunt, quod videlicet civitas esset regia et sacerdotalis, quod in ea templum Domini, arca testamenti, etc.

3. *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.*
4. *Ecce alienigenae et Tyrus et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Laudat nunc propheta sanctam civitatem a multitudine et varietate nationum, quae ad illam inhabitandam convenerunt; non enim solum iudaei, ut in T. V. ad Ierusalem pertinent, sed omnes nationes ecclesiam Christi, quae est vera Ie-

rusalem in hoc psalmo laudata, inhabitaturae erant *Memor*, etc., id est: Ego Deus conditor civitatis huius, in advocandis et conscribendis electis civibus Ierusalem, memor ero non iudaeorum tantum, sed etiam aegyptiorum (qui per *Rahab* regem Aegypti significantur) et Babyloniorum, *qui scient me*, per fidem scilicet, et religiosum cultum cognoscent me. *Ecce enim etiam alienigenae*, id est, Palaestini, alii habent Philisthaei, et *Tyrus*, id est, populus Tyri, *et populus Aethiopum fuerunt illic*, id est, istae quoque gentes me vocante et adducente erunt in civitate sancta Ierusalem; ponitur enim praeteritum pro futuro, more prophetico.

5. *Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus?* Bene notandum, quod in textu hebraico et graeco primum *homo* coniungatur cum verbo *dicet*, ut sensus sit: dicet homo ad Sion: et alterum *homo* coniungitur cum verbo *natus est*. Hic igitur affert propheta laudem praecipuam sanctae civitatis, quod ipse in ea natus sit, qui eam fundavit, Altissimus Dei Filius. Hinc enim potissimum gloriosa dicta sunt de ea, quod civis eius esse voluerit secundum naturam humanam, qui fundator eius est secundum naturam divinam. *Numquid Sion dicet homo*, id est, num fieri poterit, ut aliquis dicat Sioni rem tam novam et tam admirandam et inauditam a saeculo, *et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus?* id est, numquid significabit aliquis ipsi Sioni, quod Altissimus ipse homo natus sit in ea, et ipse idem fundaverit eam? Hanc tam evidentem prophetiam nonnulli cum iudaeis obscurare nituntur; sed nos cum Bellarmino sequimur ss. Patres Hieronymum et Augustinum, Theodoretum ac Euthymium, doctores graecos, et ante hos omnes vetustissimum

latinorum Tertullianum, qui hunc locum sicut explicavimus intelligunt.

Caeterum quaeri posset, quomodo Christus dicatur natus in Sion, cum constet, eum natum esse in Bethlehem? Respondet Bellarminus hoc loco per Sion significari Ecclesiam, sive populum Dei: Christum autem natum esse secundum humanitatem in populo Dei, sive in ecclesia quae coepit in Abel; cuius ecclesiae ipse est conditor secundum divinitatem. Forte etiam dici posset, Christum natum esse in Sion, ratione parentum suorum Davidis, Salomonis et aliorum, qui sedem suam posuerunt in Sion.

6. *Dominus narrabit in scripturis populorum et principum; horum qui fuerunt in ea.* Respondet ad interrogationem, qua dixerat: *Numquid Sion dicet: Homo?* Dicit enim propheta Dominum ipsum hoc dicturum, imo scripturum ad aeternam memoriam, in libro in quo scribit populos et *principes populorum*, qui per novam nativitatem fuerunt in ipsa civitate. *Dominus narrabit*, id est, annuntiabit, quod in Sion natus sit homo, qui idem ipse sit fundator Sionis, *narrabit autem in scripturis populorum, etc.* id est, narrabit in illis scripturis, in quibus continentur nomina populorum et principum renatorum in ipsa civitate: caput enim horum omnium est ille homo, qui simul est fundator Sionis, ac per hoc in capite libri scribetur.

7. *Sicut laetantium omnium habitatio est in te.* Haec est conclusio psalmi, quae continet summam felicitatem habitantium in illa civitate: q. d. quotquot in te habitant verissime laetantur. Hoc plenissime complebitur in civitate coelesti, inquit s. Augustinus.

PSALMUS LXXXVII.

Synopsis

Iuxta Hieronymum, Augustinum et Euthymium, hoc loco Passio D. N. I. C. manifeste praedicitur, ut in multis aliis psalmis. Caeterum valde obscurus est hic psalmi titulus: Canticum Psalmi, Filiis Core, in finem, pro Maheleth, ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitae. Quod ita Bellarminus exponit: Canticum Psalmi filiis Core datum ad canendum et frequentandum usque in finem super choros, vel super instrumento musico, Maheleth appellato, ad respondendum alternatim canendo, in quo explicatur eruditio, sive intelligentia mysterio plena, Eman Ezrahitae, id est, filii Ezrah., iii. Reg. iv, 31 sive iam ipse Eman, sive potius David in eius persona psalmum composuerit.

1. *Domine Deus salutis meae, in die clamavi et nocte coram te.* Propheta ab oratione incipit, in persona Christi invocans Deum Patrem, ac dicens: *Domine Deus salutis meae*, id est, a quo salutem expecto per celerem resurrectionem, *in die clamavi et nocte coram te*; clamavit enim in die passionis ex cruce dicens: Deus meus, Deus meus, etc., et nocte praecedente in horto ter clamavit: Pater mi, si fieri potest, transfer calicem hunc a me.

2. *Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.* Id est, exaudiatur obsecro oratio mea: hoc enim significant omnia verba, sed metaphoris poetice admixtis.

3. *Quia repleta est malis anima mea; et vita mea inferno appropinquavit.* In cruce plane repleta erat malis anima Christi ob ingentes dolores totius corporis, et vita ipsius propinquissima erat morti, ac per hoc inferno, ad quem tunc animae defuncto-

rum descendebant. Sunt, qui haec omnia et sequentia quoque referant ad morbum corporalem Davidis, aut Oziae regis; sed si ita esset, nihil mysterii in hoc psalmo esset.

4. *Aestimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.* Commemorat etiam ignominiam et contemptum, quem patiebatur iam mortuus ex opinione hominum: q. d. Ab his *aestimatus sum cum descendentibus in lacum*, id est, putaverunt homines me descendisse in locum animarum sicut alii descendunt, invitum videlicet ac coactum: *factus sum* opinione hominum *quasi homo sine adiutorio*, infirmus et imbecillus, cum tamen *inter mortuos*, id est, morti addictos, et eius potestati subiectos solus *liber* sim, ut nemo me ad mortem cogere possit, utpote *qui potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*, ut dicitur Ioan. x, 18.

5. *Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius: et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Pergit explicare opinionem hominum de morte sua. Existimatus sum, inquit, sicut alii vulneribus occisi, et in sepulcris iacentes sopore mortis oppressi. *Quorum non es memor amplius*, scilicet ut eos vitae continuo restituas, ait s. Augustinus; nam *ipsi de manu tua repulsi sunt*, omni auxilio et cura, quam vivis impendere soles, destituti. Porro Christus etiamsi in triduo mortis non fuerit homo, et vere vulneribus occisus iacuerit in sepulcro, tamen valde dissimilis erat aliis omnibus, quoniam ipse se resuscitare poterat, quod nullus alius potest.

6. *Posuerunt me in lacu inferiori; in tenebrosis, et in umbra mortis.* Id est, inimici mei, qui me

occiderunt, fecerunt ut descenderem ad inferiores partes terrae secundum animam, qui iacebam secundum corpus occisus in sepulcro; describit autem locum inferni, dicens, *in tenebrosis et in umbra mortis*, id est, in locis tenebrosis et in umbra densissima, qualis est umbra mortis. Ita s. Hieronymus, s. Augustinus, Bellarminus, et alii.

7. *Super me confirmatus est furor tuus: et omnes fluctus tuos induxisti super me.* Duabus metaphoris declarat David in persona Christi magnitudinem passionis. *Super me* omnia vindicari volebas; super me non solum effusus est, sed etiam *confirmatus* et roboratus, ut non inde recederet, donec plenissima satisfactio existeret. *Et omnes fluctus tuos, etc.*, haec est altera metaphora, qua comparatur passio Domini omnibus fluctibus totius maris, obruentibus, sive agitantibus et allidentibus ad varios scopulos hominem in mare praecipitatum. Digna plane res, quam omnes redempti attentissime contemplantur.

8. *Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.* Addit ad caeteras passiones aversionem notorum ab ipso. *Longe fecisti, etc.*, id est, permisisti, ut qui me noverant; longe recederent a me: *posuerunt me abominationem sibi*, id est, non solum recederent, tanquam si me non nossent, sed etiam execrarentur ut seductorem, samaritanum, daemoniacum, etc. S. Hieronymus per *notos* intelligit apostolos, per *abominantes* intelligit iudaeos, uti et Euthymius.

9. *Traditus sum et non egrediebar: oculi mei languerunt prae inopia.* 10. *Clamavi ad te, Domine, tota die: expandi ad te manus meas.* Explicata passionis magnitudine revertitur ad initium passionis. *Traditus sum* in has passionis angustias: et quoniam videbat, Dei praescientia et praedefinitione se

traditum in eiusmodi angustias, ideo dicit, *et non egrediebar*, id est, non poteram, nec volebam egredi, stante decreto Patris aeterni. *Oculi mei lacrymis multis effusis languerunt*, ut quasi siccati sint *prae inopia* humoris, vel, ut alii habent, *languerunt prae inopia*, sive carentia auxilii et solatii. *Clamavi ad te, etc.* Dicitur clamasse tota die, quia et die ac nocte clamavit, ut dicitur in primo versu; nam ex die et nocte completur dies naturalis. *Expandi ad te manus meas*, orando videlicet, vel expandi manus meas in cruce, ut tanto oblato sacrificio facilius impetrarem, et mihi celerem resurrectionem, et corpori meo mystico liberationem a morte sempiterna.

11. *Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi?* 12. *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam et veritatem tuam in perditione?* 13. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et iustitia tua in terra oblivionis?* Reddit rationem propheta in persona Christi, cur a morte salvari petierit, optans et petens celerem resurrectionem. *Numquid mortuis facies mirabilia?* q. d. cupio vitam conservari aut brevi restitui, quoniam mortuis, qui nec vivunt, nec sentiunt, frustra ostenderes mirabilia opera tua. *Numquid medici suscitabunt, etc.*, id est, mortui non solum non vivunt nec sentiunt, sed neque arte ulla suscitari possunt, ut apud et inter viventes laudent te. *Numquid aliquis in sepulcro positus, sive iam sepultus, et in perditione*, id est, qui iam interiit, *narrabit apud et inter vivos misericordiam et veritatem, sive fidelitatem tuam?* *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, etc.*, id est ideo non narrabunt mortui in sepulcris mirabilia tua, quia ea non cognoscunt, cum degant in tene-

bris mortis et *in terra oblivionis*, ubi nulla est memoria rerum praeteritarum, sicut nec sensus est praesentium. Ita Theodoretus, Euthymius, Bellarminus, Tirinus, Le Blanc, et alii.

14. *Et ego ad te, Domine clamavi, et mane oratio mea praeveniet te.* 15. *Ut quid, Domine, repellis orationem meam: avertis faciem tuam a me?* Demonstrat in fine psalmi, divino decreto confirmatam fuisse passionem dominicam, ut mutanda omnino non esset: et pluribus verbis explicatur illud in cruce brevissime a Domino dictum, *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. xxvii, 46. *Et ego ad te, Domine, clamavi*, ut videlicet calix passionis transiret a me, *et mane*, id est, satis tempestive, in ipso passionis exortu *oratio mea praeveniet te.* *Ut quid repellis orationem meam?* id est, quare non exaudis et facis, ut calix iste transeat a me? *Avertis faciem tuam a me*, quasi alienus? quare derelinquis me? Haec ergo dicuntur, ut intelligatur magnitudo passionis, quam natura humana naturaliter horrebat; alioquin enim Dominus ipse passionem, ut remedium ad tollenda peccata generis humani, omnino et absolute volebat et eligebat: et Pater eum semper exaudivit in eo, quod absolute petiit.

16. *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea; exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus.* Revelat hic nobis Spiritus s. Christum in diebus carnis suae nunquam sine passione vixisse. *Pauper ego sum, etc.*, id est, cum in forma Dei essem beatus et dives, propter vos homines egenus factus sum, *et in laboribus* et aerumnis *a iuventute*, sive pueritia, imo ab infantia, vel a nativitate mea. *Exaltatus autem in cruce humiliatus sum* usque ad mortem, *et conturbatus* ob caecitatem et ruinam populi mei.

17. *In me transierunt irae tuae ; et terrores tui conturbaverunt me.* Dat causam, cur exaltatus humiliatus sit: quia videlicet ira Dei in peccata multa et multiplicia totius generis humani in ipsum Christum transiit. Inde est enim, quod in horto coepit pavere et taedere et moestus esse, quod terrores Dei conturbabant eum, ut qui peccata totius mundi expiaturus divinae iustitiae satisfactorus erat.

18. *Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.* Id est, ira illa, et terrores Dei me instar maris, undique et semper opprimebant et absorbebant. Idem repetit: *circumdederunt me simul.*

19. *Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria.* Hoc denique ad cumulum malorum accedebat; quod solus calicem illum amarum bibere opus illi erat, nullo particeps et socio tantae calamitatis. Vere enim apud Isaiam loquitur: *Tortular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum; circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi, et non fuit qui adjuvaret.* Is. c. LXIII, 3.

PSALMUS LXXXVIII.

Synopsis

Psalmus hic continet desiderium populi Dei in captivitate positi, ut cito Christus tanto ante promissus adveniat: et quia hic tractatur de aeterno regno promisso Davidi in Christo Filio suo, ideo forte in titulo ponitur Intellectus: est autem titulus iste: Intellectus Ethan Ezrahitae. Porro de Ethan Ezrahita mentio fit III. Reg. IV, 31, item 1. Paral. VI, 42.

1. *Misericordias Domini in aeternum cantabo.* Haec est propositio et argumentum totius psalmi:

illud *in aeternum* non coniungitur cum verbo *cantabo*, sed cum nomine *misericordias*, ut sensus sit: *cantabo misericordias Domini in aeternum permansuras.*

2. *In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Est repetitio et explicatio 1 v.: ibi dicit se cantaturum *misericordias Domini*, quae in aeternum erunt: hic ait se cantaturum *veritatem Domini*, id est, fidelitatem in servandis promissis, quae *in generationem et generationem* permanebit.

3. *Quoniam dixisti: In aeternum misericordia aedificabitur in coelis; praeparabitur veritas tua in eis.* Probat misericordiam et veritatem Dei in aeternum duraturas. *Quoniam*, inquit, *tu dixisti*, et mihi revelasti, *in aeternum misericordia aedificabitur in coelis*, id est, beneficia misericorditer Davidi promissa in aeternum aedificium consurgent *in coelis*, id est, firma et stabilia erunt. *Praeparabitur veritas tua in eis*, id est, in eisdem *coelis* fidelitas tua, qua promissa adimplet, *praeparabitur.*

4. *Disposui testamentum electis meis; iuravi David servo meo: usque in aeternum praeparabo semen tuum.* 5. *Et aedificabo in generationem et generationem sedem tuam.* Explicat nunc misericordiam fidelem, quam initio cantaturum se dixit. *Disposui testamentum electis meis*, id est, percussi foedus cum electo populo meo, *iuravi David servo meo*, id est, promisi cum iuramento Davidi principi populi mei: *Usque in aeternum praeparabo semen tuum*, id est, hoc erat pactum iuratum, ut stabiliam sobolem eius usque *in aeternum*, et *aedificabo, etc.* id est, multiplicabo tempora regni tui *in aeternum.* Haec in Christum solum convenire patet ex v. 30, 37, 38, et docent ss. Hieronymus et Augustinus, Theodoretus et alii patres.

6. *Confitebuntur coeli mirabilia tua, Domine; etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.* Est digressio a tanto beneficio Dei, ad laudes eiusdem Dei. q. d. Ego par non sum tantae laudi, quanta pro hac re tibi debetur, sed *confitebuntur*, id est, laudabunt *coeli*, id est, angeli habitantes in coelo, *mirabilia tua*, id est, hanc admirabilem misericordiam tuam, *etenim veritatem tuam, etc.*, id est, et *confitebuntur* laudes veracitatis et fidelitatis tuae in coetu sanctorum angelorum, qui tibi innumerabiles semper assistunt. Illud *etenim* ex hebraeo hic idem significat, quod *et*, vel *etiam*.

7. *Quoniam quis in nubibus aequabitur Domino; similis erit Deo in filiis Dei?* Probat angelos non recusaturos officium laudandi Deum, quia ipso Deo longe inferiores sunt. *Quoniam quis in nubibus*, id est, eorum, qui super nubes coeli degunt, *aequabitur Domino?* quis *similis erit Deo in filiis Dei?* quales sunt angeli sancti.

8. *Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.* Ostendit, vere nullum angelorum conferri posse cum Deo, quoniam *Deus* est, qui solus *glorificatur in consilio sanctorum*, id est, qui in coetu supernarum potestatum gloriosus agnoscitur, *magnusque* est potentia et sapientia, et ideo reverendus et metuendus super omnes angelos *qui in circuitu eius sunt*, ut milites in circuitu regis.

9. *Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.* Deum iam alloquens, tu, *Domine*, ait, es *Deus exercituum*, id est, tot millium angelorum; sed in his omnibus ita emines, ut nullus sit perfecte *tibi similis*, et ideo nullus est perfecte similis tibi, quia tu solus es absolute *potens*, et omnia potes, nec solum po-

tes omnia facere, sed etiam re ipsa facis quod promittis, quia *veritas in circuitu tuo*, vel ut Chaldaeus, *circumdat te*, id est, quia undequaque ostendis veracitatem et fidelitatem in complendis promissis tuis.

10. *Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Probat Deum potentem esse ex eo, quod *dominatur superbiae maris*, elationes eius comprimendo, et mitigando motus eius. Quam potentiam Deus maxime ostendit, quando *mitigavit motum rubri maris*, ut quasi murus hinc atque inde steterit. Exod. xiv.

11. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuae dispersisti inimicos tuos.* Haec ad litteram videntur intelligenda de Pharaone et exercitu eius. Dicitur autem superbus Pharaon humiliatus, *sicut vulneratus*, is enim, qui graviter vulneratus est, facillime prosternitur. Possent etiam haec referri ad diabolum et angelos eius.

12. *Tui sunt coeli et tua est terra, orbem terrae et plenitudinem eius tu fundasti: Aquilonem et mare tu creasti.* Docet mirum non esse, si Deus tam facile compescuit mare, et *humiliavit superbum*, quia Dominus est universorum, et ideo Dominus, quia omnia fecit.

13. *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.* Dixerat Deum creavisse Aquilonem et mare, id est, Austrum; nunc addit orientem et occidentem: sed utrumque more poëtico describit per montes *Thabor et Hermon*, quorum unus ad orientem, alter ad occidentem in terra promissionis est: ita quoque more poëtico describit creationem per effectum exultationis, q. d. oriens et occidens a te creati *exultant* et gestiunt, inque tuas Creatoris laudes suo modo prorumpunt. *Tuum brachium cum potentia*, id est, ex dictis colligimus brachium tuum esse fortissimum.

14. *Firmetur manus tua et exaltetur dextera tua: iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae.* Dixerat supra propheta de potentia et veritate Dei. Potentiam laudavit hactenus, nunc etiam loquitur de veritate, quae *iudicium* quoque et *iustitia* dicitur, et cum misericordia semper solet esse coniuncta. Ait igitur: Gaudeo quidem, quod *manus tua firmetur*, id est, potens et robustissima sit, et quod eadem *dextera tua exaltetur*, id est, laudetur et magnificetur ab omnibus, ut aequum est, sed simul etiam *iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae*, id est, misericordia et iustitia praeparant, ornant et stabiliant thronum tuum.

15. *Misericordia et veritas praecedent faciem tuam; beatus populus, qui scit iubilationem.* Per priora verba repetit illud: *iustitia et iudicium, etc.*, et sensus est: *misericordia et veritas*, id est *iustitia, praecedent faciem tuam*, ut praeparent sedem tuam, cum ad iudicium venturus es. Postea David hactenus dicta ad populum israheliticum, et in particulari ad seipsum applicat, dicens: *beatus populus, qui scit iubilationem*, id est, vere prae omnibus populis felix est populus israheliticus, qui scit per notitiam et experientiam has Dei laudes, et scit iubilare, id est, magno affectu laudare Deum.

16. *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die: et in iustitia tua exultabuntur.* Id est, homines illius populi scientis recte iubilare, *in lumine vultus tui*, id est, favore et gratia tua *ambulabunt* viam huius vitae, et iugiter *exultabunt* Deum laudantes et gratias agentes, *et in iustitia tua*, remuneratrice bonorum *exultabuntur* ad maiorem vitae perfectionem, et postea ad gloriam sempiternam.

17. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es; et in*

beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. q. d. Dixi huiusmodi beatos homines exaltandos, sed ideo, *quoniam gloria*, etc., id est quia virtus et robur eorum, unde proficiunt, ascendunt, et gloriosi redduntur, a te solo est, non ob eorum merita, sed quia tibi placet; nam *in beneplacito tuo*, id est, in bona voluntate tua erga nos, *exaltabitur cornu nostrum*, id est, robusti et fortes erimus adversus inimicos.

18. *Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israël regis nostri.* In hoc enim apparuit beneplacitum Dei, quod ex omnibus populis ei placuit assumere populum Israël. *Domini est assumptio nostra*, id est, Dominus ex bona voluntate sua nos assumpsit in populum peculiarem, ac rex noster esse dignatus est: ideo subiungit *et sancti Israël regis nostri*, ubi *Israël* est genitivi casus.

19. *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti: Posui adiutorium in potente; et exaltavi electum de plebè mea.* Hic incipit descendere ad personam suam tanquam caput electi populi, et ait: *Tunc*, cum nos assumeres tibi in electum populum, olim tempore patriarcharum *locutus es in visione*, id est, revelasti ss. prophetis tuis, et promisisti, quod *poneres adiutorium in potente*, id est, quod provideres, ut fortis aliquis populo tuo opitularetur, *et exaltares electum* tuum de omni *plebe*, scilicet Davidem, sed multo magis filium Davidis Christum. Ita Theodoretus, Tirinus, Bellarminus. Imo s. Augustinus omnia de Christo solo exponit.

20. *Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum.* Dicit, se ipsum esse, quem Deus dignum invenit, qui eligeretur et ungeretur in regem. Dicitur autem Deus metaphoricè *invenisse* Davidem, Deus enim inquisitione non eget.

21. *Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit eum.* 22. *Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.* 23. *Et concidam a facie ipsius inimicos eius: et odientes eum in fugam convertam.* Haec quoque de Davide utcumque exponi possunt, qui Dei auxilio multas victorias de inimicis suis obtinuit: tamen longe verius exponuntur de Christo; nam *manus* et *brachium* Domini, quod est ipsum Dei verbum, potentia et sapientia Dei, ita corroboravit humanitatem Christi sibi hypostatice unitam, ut nihil in eo homine proficere potuerit ullus *inimicus*.

24. *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu eius.* Haec quoque in Davide vix adumbrata, in Christo perfectissime impleta sunt: nam *veritas* et *misericordia* Dei cum Christo semper perseverarunt, ex quo factum est, ut *in nomine Dei exaltaretur cornu eius*, id est, potentia eius, eo usque, ut in nomine eius omne genu flectatur.

25. *Et ponam in mari manum eius, et in fluminibus dexteram eius.* Ab hoc loco conveniunt fere omnes, non posse exponi verba psalmi, nisi de Christo, de quo solo rege dicitur, *et ponam in mari manum eius*, id est, dabo ei potestatem etiam in ipso mari, *et in omnibus fluminibus*, et per hoc consequenter in omni orbe terrarum.

26. *Ipsse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meae.* Adhuc apertius loquitur propheta de Christo, non de se: *Pater meus es tu*, quoad divinitatem, *Deus meus*, quoad humanitatem, *susceptor salutis meae*, quoad mortalitatem.

27. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae.* Hic vero apertissime de Christo

loquitur, qui secundum divinitatem unigenitus est, secundum humanitatem primogenitus ex tribus titulis. I. Quia primus est in praedestinatione: ad Ephes. i. II. Quia primus est in secunda generatione ad vitam immortalem, Colos. i, Apoc. i. III. Quia ipse habuit iura primogenitorum: Hebr. i. Nec solum posuit illum Pater *primogenitum*, sed etiam *excelsum prae regibus terrae*, id est, principem *regum terrae* et *regem regum*. Ut exponit s. Ioannes, in Apoc. i et xix.

28. *In aeternum servabo illi misericordiam meam: et testamentum meum fidele ipsi.* Hic praedicit propheta aeternitatem regni Christi: *in aeternum servabo illi*, etc., id est, *misericordia*, qua illum praedestinavi, et elegi ante saecula, ut esset primogenitus et excelsus prae regibus terrae semper manebit, *et testamentum meum fidele ipsi*, id est, pactum meum cum ipso de stabiliendo regno eius in aeternum, semper *fideliter* observabitur. Expressit hanc promissionem angelus Luc. i, v. 32 et 33.

29. *Et ponam in saeculum saeculi semen eius: et thronum eius sicut dies coeli.* Explicatur modus quo Deus etiam Davidi velit conservare misericordiam suam in aeternum, quia dabit illi *semen*, id est, filium Christum, qui regnabit *in saeculum saeculi*, et per hoc *thronus eius* Davidis, nunquam finem habebit, sed regni eius tempora erunt *sicut dies coeli*, id est, sicut tempus, quo durabit coelum.

30. *Si autem dereliquerint filii eius legem meam: et in iudiciis meis non ambulaverint: 31. Si iustitias meas profanaverint: et mandata mea non custodierint: 32. Visitabo in virga iniquitates eorum: et in verberibus peccata eorum. 33. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in*

veritate mea. 34. *Neque profanabo testamentum meum: et quae procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Dicit, quod si filii Davidis iram Domini malis suis operibus provocaverint, ipsos quidem peccantes puniendo corripiet, non tamen irritum faciet, quod iureiurando promisit. Illud *visitabo in virga*, etc., significat, non relinquam eorum scelera impunita, sed castigabo paterno flagello. Illud *misericordiam autem meam*, etc., significat, non propter peccata filiorum removebo a patre beneficium, quod misericorditer promisi, *neque nocebo in veritate mea*, id est, *non nocebo veritati meae*, vel nihil detrahā de fideli promisso semel facto: *neque profanabo testamentum meum*, id est, non polluam pactum meum, illud non observando.

35. *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar: semen eius in aeternum manebit,* 36. *Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.* Ratio, cur Deus velit adimplere promissionem de stabiliendo regno Davidis est; quia *semel*, id est, irrevocabiliter et immutabiliter *iuravit*, per sanctitatem suam, sive in sancto nomine suo: *si David mentiar*, id est, non *mentiar* Davidi. Verba iuramenti sunt, quae sequuntur: *semen eius*, etc., id est *iuravi*, et non *mentiar* Davidi, quod filius eius Christus in aeternum vivet et regnum eius sempiternum erit. *Et thronus eius in conspectu meo sicut sol* in aeternum stabit et lucidus erit, *et sicut luna perfecta*, seu plena lumine, et sicut iris, sive arcus coelestis, qui *testis et fidelis* a Deo datus hominibus, numquam amplius fore diluvium aquarum. Gen. ix, 12. Ita Iansenius, Bellarminus, Tirinus.

37. *Tu vero repulisti et despexisti: distulisti Christum tuum.* Iam propheta in persona populi

captivi orat pro adimpletione factae promissionis divinae. *Tu vero repulisti*, etc. q. d. Videris iam, o Deus, horum promissorum plane oblitus, *repulisse et despexisse* populum tuum, et *distulisse* adventum Messiae Christi tui. Ita s. Augustinus.

38. *Evertisti testamentum servi tui: profanasti in terra sanctuarium eius.* Explicat, quomodo Deus videatur repulisse et despexisse populum suum: *Evertisti*, etc., id est, quia videris *evertisse*: Chaldaeus habet, irritum fecisse *testamentum* seu pactum, quod cum *servo tuo* Davide pepigeras: nam *profanasti*, id est, quasi rem profanam abiecisti *in terra*, vel ut Chaldaeus habet, *usque ad terram sanctuarium eius*, id est, templum et religionem. Ita Theodoretus, Euthymius; vel ut s. Hieronymus et Chaldaeus, *diadema*, seu *coronam eius*, id est, regiam eius dignitatem.

39. *Destruxisti omnes sepes eius: posuisti firmamentum eius formidinem.* 40. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.* Comparat populum iudaicum, per Davidem significatum, vineae, quae destructa *sepe* fit omnium *transeuntium* praeda; ita enim populus ille, Deo non protegente, factus est in direptionem assyriis, non semel, sed saepius capientibus et spoliantibus Ierusalem. Illud *posuisti firmamentum eius formidinem*, significat: fecisti, ut in locum munitionis firmissimae succederet in regno et civitate formido.

41. *Exaltasti dexteram deprimentium eum; laetificasti omnes inimicos eius.* 42. *Avertisti adiutorium gladii eius: et non es auxiliatus ei in bello.* Q. d. Iuvisti hostes populi tui, ut facilius deprimerent populum tuum: et inde secuta est magna laetitia apud hostes: contra vero *avertisti adiutorium tuum a gladio eius*, regis videlicet, vel exercitus

populi tui, quod clarius dicit: *non es auxiliatus*, etc.

43. *Destruxisti eum ab emundatione: et sedem eius in terram collisisti.* Valde obscurus iste locus est. S. Hieronymum sequi libet, qui ita exponit: *Destruxisti*, etc., *cessare fecisti omnem eius (populi) munditiam.* Et Chaldaeus habet: *Abstulisti sacerdotes, et sacrificia, et sacramenta, quibus emundabatur, et sedem eius in terram collisisti:* id est, thronum regni eius detraxisti in terram, et confregisti, ut neque cultus, neque thronus regius illis superesset.

44. *Minorasti dies temporis eius: perfudisti eum confusione.* Haec est ultima et principalis calamitas, quod cum Deus promisisset Davidi regnum perpetuum, iam videretur illam promissam aeternitatem ad brevissimum tempus contraxisse: nam in Iechonia et Sedecia finitum est regnum temporale Davidis, quod speraverat nullum finem habiturum, ex hac autem diminutione *temporis* repletus est David in posteris suis magna *confusione.*

45. *Usquequo, Domine, avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?* Hic incipit oratio pro acceleratione adventus Messiae, ut impleatur promissio iurata Dei. *Usquequo avertis*, etc., id est, quamdiu *avertes te*, aut faciem tuam, usque in *finem*, id est usque ad ultimam perniciem et consumptionem? quamdiu *exardescet indignatio tua*, quasi ignis qui non cessat, donec in cinerem redegerit, quod cremandum suscepit?

46. *Memorare quae mea substantia: numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* 47. *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Propheta ex brevitate vitae humanae et caducitate rerum huma-

narum exarsisse videtur in desiderium vitae aeternae, ac Deum precari voluisse, ut Messiam cito mitteret, Patrem futuri saeculi, qui aperiret credentibus regna coelorum: nisi enim saltem pars aliqua generis humani ad vitam illam aeternam et beatam per Christum perveniret, vere *in vanum* condidisse videretur Deus *omnes filios hominum*. Ait igitur: *Memorare, quae sit mea substantia*, id est, quam brevis, quam fragilis, quam aerumnosa sit subsistentia mea in terris. *Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* id est, num constituisti, et creasti *filios hominum*, ut solum hanc vitam viverent? id enim esset frustra condidisse genus humanum. *Quis est homo qui vivet*, etc., id est, quod sit brevis, et aerumnosa vita nostra, vel ex eo constat, quod nemo potest mortem evadere: nemo *eruet animam suam de manu inferi*, quo omnes mortales sine exceptione trahuntur.

48. *Ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine, sicut iurasti David in veritate tua?* Iam aperte Deum precatur, ut impleat promissum de rege mittendo ex semine David, qui populum suum in aeternum regat. *Ubi sunt misericordiae tuae antiquae, Domine*, id est, promissiones ex misericordia tua magna olim factae Davidi, quae etiam iuramento confirmasti per ipsam tuam veritatem *iurans?*

49. *Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium*. Addit aliam rationem, cur tanto affectu postulet adventum Messiae: quoniam populi infideles exprobrare non cessant populo Dei, quod frustra speraverit regem aeternum ex semine David. *Illud quod continui*, etc., significat, quod opprobrium *multarum gentium*, sive a *multis gentibus* irroga-

tum, ego populus tuus *continui*, s. Hieronymus *portavi*, Chaldaeus *sustinui in sinu*, seu *corde meo*, id est, tacitus devoravi, et iam non commemoro, sed praetereo.

50. *Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.* Hoc est opprobrium, quod *inimici Domini exprobrarent* populo Dei *commutationem Christi sui*, id est, Deum mutasse sententiam de Christo Messia, vel iam non mittendo, vel non nisi tarde admodum mittendo, q. d. *Exprobrant nobis*, ubi manet promissus toties Christus vester? admodum tardigradus, vel certe loripes, aut claudus, etc. Ita Vatablus, Genebrardus, Tirinus, iuxta s. Hieronymum et Chaldaeum. Sed his blasphemiiis hoc unum opponit propheta.

51. *Benedictus Dominus in aeternum, fiat, fiat,* q. d. Laus et gratiarum actio semper deferatur Domino, cuius providentiae omnia committo, et quem scio certissime, non obstantibus quibuscunque, conservaturum regnum Christi sui, ut promisit in aeternum. *Fiat, fiat*, in Hebraeo, *Amen, amen*, id est, sic est, et sic opto ut *fiat*, ut videlicet Dominus benedicatur in aeternum.

PSALMUS LXXXIX.

Synopsis

Deplorat David vitae humanae brevitatem, ac multiplices aerumnas ex peccato: oratque corrigi haec per Christum. Huius psalmi titulus inscribitur Moysi: Oratio Moysi hominis Dei, eo quod Moysem loquentem David introducat. Introducitur autem Moyses fortasse, inquit Bellarminus, quod ipse scripserit creationem mundi, peccatum primorum parentum, et poenas inde secutas. Caeterum S. Hieron. Epist. ad Cyprian. affirmat, hunc psalmum cum decem sequentibus a Moyse fuisse compositum: sed id negat S. August., ut videre est apud Bellarm. colum. 669.

1. *Domine, refugium factus es nobis: a generatione in generationem.* Orditur propheta orationem a gratiarum actione pro acceptis beneficiis. *Domine*, inquit, *refugium factus es nobis*, id est, fatemur, quod te in multis variisque periculis protectorem et adiutorem experti simus, idque non semel aut iterum, sed omni tempore per omnes *generationes* sibi invicem succedentes.

2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis: a saeculo et usque in saeculum tu es Deus.* Q. d. Non solum *tu es* ante montes et terram, tum incultam, tum habitabilem, hoc enim significat *orbis*, sed *es a saeculo*, id est ab aeterno, et *usque in saeculum*, id est, usque in aeternum. Nec dicit *tu eras a saeculo*, et *eris usque in saeculum*, sed *tu es*, ut ostendat veram aeternitatem Dei, quae est duratio sine ulla varietate et mutatione.

3. *Ne avertas hominem in humilitatem, et dixisti: Convertimini filii hominum.* Videbat hominem per peccatum primi hominis aversum a Deo praecipi-

tem ruere in deterius: ideo clamat: *Ne avertas hominem in humilitatem*, id est, ne sinas a te penitus averti humanum genus, et cadere in extremam vilitatem ac miseriam. Rationem addit: *illud et ponitur pro quia tu dixisti: Convertimini*, etc. q. d. Protestatus es, te nolle mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant.

4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesternae, quae praeteriit.* 5. *Et custodia in nocte, quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Describit abiectioem generis humani post peccatum primi hominis ex brevitate vitae, comparatae cum aeternitate Dei. *Quoniam mille anni*, etc., id est, in vilitatem maximam conversi sumus, quoniam tu quidem aeternus es, ita ut apud te *mille anni* sint velut una dies, quae statim praeterit, aut veluti *custodia in nocte*, id est, una nocturna vigilia, quae tribus horis absolvitur: hominum autem anni tam breves sunt, ut pro nihilo reputari possint: sic enim interpretes intelligunt illa verba, *quae pro nihilo habentur, eorum anni erunt*, id est anni hominum post peccatum erunt numerandi inter ea, quae pro nihilo habentur, id est brevissimi, ac pene nulli.

6. *Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat: vespere decidat, induret, et arescat.* Declarat annos vitae esse vere contemptibiles per similitudinem foeni, quod una die oritur, floret, exarescit, et perit. In Hebraeo verba sunt in futuro, *transibit, florebit*, etc., et sensus est, *mane* in pueritia quasi herba virens apparebit homo, et non ibi sistet, sed mox *transibit*. *Mane* item, in iuventute *florebit*, sed mox *transibit*; *vespere* in aetate virili *decidet*, flore scilicet iuventutis cadente: *indurabitur* in senectute, amisso vigore virilitatis, et tandem, siccato humore vitali, *arescet* in morte.

7. *Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.* Id est, tam miseri ac mortales effecti sumus, quoniam irritavimus iram tuam, et conturbati sumus mortis horrore et terrore ob furorem tuum, qui securi et quieti antea vivebamus. Metaphorice dicitur ira et furor in Deo.

8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo; saeculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Dixerat causam brevitatis vitae nostrae fuisse iram Dei: nunc dicit causam irae Dei fuisse *iniquitates nostras*. Vocat autem *nostras iniquitates* peccatum primorum parentum. Fortasse etiam respicit David ad *iniquitates* posterorum, ob quas semper magis contracta est brevitatis humanae vitae. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*, id est, peccata nostra ante conspectum tuum *posuisti*, ut ea diligenter considerares et punires. Deinde repetit idem: *posuisti saeculum nostrum*, etc., nam per saeculum nostrum intelliguntur *iniquitates* vitae, sive temporis nostri, quas ne laterent, *posuit* Deus in *illuminatione vultus sui*, id est, luce *vultus sui* detexit, ut earum turpitudine nota esset, et iusto Dei iudicio puniretur.

9. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua defecimus.* Id est, *omnes dies nostri* abierunt, ut nulli iam supersint, et nos cum illis consumpti sumus. Et haec est poena peccati; nam si Adam non peccasset, dies qui idem praeteriissent, sed nos cum illis non *defecissemus*.

10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* 11. *Si autem in potentatibus, octoginta anni; et amplius eorum, labor et dolor.* Dixit mortem esse poenam peccati; nunc addit vitam ipsam, quam agimus ante mortem, valde miseram et brevem esse.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur, id est, tempus vitae nostrae exercebitur vanis laboribus, doloribus, timoribus, etc., sicut *aranea* exercetur in tendendis suis retibus, non sine propriae substantiae consumptione. *Dies annorum nostrorum in seipsis* conclusi ac definiti raro transcendunt supra *septuaginta annos* : et in *potentatibus*, id est, in robustioribus, usque ad *octoginta*, et si quid ultra sit, erit *labor et dolor*, aetas videlicet infirma, et variis malis ac aerumnis obnoxia. Ita s. Hieronymo, Augustino, Theodoreto et Bellarmino teste, omnes pene interpretes.

12. *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripimur*. Illud *quoniam* accipitur hic pro *verumtamen*, aut *certe* : ait igitur David: *verumtamen* ex labore et dolore senectutis *supervenit* in nos *mansuetudo*, humilitas et modestia ; et inde *corripimur*, et discemus subiecti esse Deo, et id parum temporis, quod superest, in eius timore et amore consumere.

13. *Quis novit potestatem irae tuae, et prae timore tuo iram tuam dinumerare?* Ex gravitate poenae redditae peccato primi hominis colligit propheta, magnam esse valde iram et severitatem Dei adversus peccata : sed poëticae describit irae divinae magnitudinem : *Quis novit potestatem irae tuae*, id est, quis cogitando poterit assequi, quanta sit vis, potentia et efficacia *irae tuae*, Domine ? *Et prae timore tuo iram tuam dinumerare?* id est, et quis poterit te tantum timere, quantum timendus es, et iuxta hunc timorem mensurare magnitudinem *irae tuae*, vel omnes eius puniendi modos enumerare ?

14. *Dexteram tuam sic notam fac, et eruditos corde in sapientia*. Ab hoc versu usque ad finem orat propheta, ut sicut Deus iuste punivit genus humanum poena mortalitatis, ita illud misericordi-

ter respicere et adiuuare dignetur in huius vitae mortalis peregrinatione. *Dexteram tuam sic notam fac*, id est: Fac, o Deus, ut iam tandem innotescat nobis *dextera tua*, qua nos suscipias et sustentas. Forte per *dexteram* significatur Christus, quem promissum sciebat, et ut cito veniret assidue precabatur. *Et eruditos corde in sapientia*, id est, et simul notos fac nobis homines *eruditos corde in sapientia*, id est prophetas et apostolos.

15. *Convertere, Domine, usquequo? et deprecabilis esto super servos tuos.* Idipsum petit, sed oratione magis generali; et dicit: Tu, Domine, avertisti a nobis faciem tuam, iratus nobis propter peccata nostra; sed aliquando tandem placatus *convertere* ad nos: *Usquequo affliges nos?* inquit Chaldaeus. *Et deprecabilis esto*, etc., id est, sine te exorari a servis tuis, quos ipse formasti, ac alis in obsequium tuum.

16. *Repleti sumus mane misericordia tua: et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.* 17. *Laetati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.* S. Hieronymus hos versus partim per modum imperandi seu deprecandi, partim per tempus futurum ex Hebraeo sic vertit: Imple nos matutina tua misericordia, et laudabimus, et laetabimur in cunctis diebus nostris: laetifica nos pro diebus quibus afflixisti nos, et pro annis quibus vidimus mala. Si vero velimus tenere versionem nostram, dicendum est cum s. Augustino, prophetam praenuntiare res futuras per verba temporis praeteriti propter certitudinem praedictionis; itaque versus hi non ad tempus viae, sed ad tempus patriae pertinent, tunc enim dicemus: *Repleti sumus mane*, id est, initio verae illius diei, quo solem iustitiae aspiciere coepimus, *misericordia tua*,

etc. Tunc benedicemus dies illos, et annos, qui nobis materiam patiendi praeberunt, etc.

18. *Respice in servos tuos, et in opera tua: et dirige filios eorum.* Petit gratiam bene operandi ad praedictum finem obtinendum necessariam. *Respice in servos tuos*, id est, oculo benevolentiae, et favoris tui *respice* illos, ut tuos, *dirige*, protege. *Et in opera tua*, id est, in *opera* bona, quae tu operari coepisti in illis. Nec solum *servos tuos*, sed etiam *filios eorum* sive naturales, sive spirituales *respice*, et *dirige*, ut parentes cum filiis, te dirigente, in via mandatorum tuorum perseverent, et ad patriam pertingere mereantur aeternam.

19. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos: et opera manuum nostrarum dirige super nos: et opus manuum nostrarum dirige.* Idipsum petit aliis verbis, nam quod dixit: *Respice in servos tuos*, repetit: *Et sit splendor*, etc. Deus enim respiciendo illuminat, avertendo faciem in tenebris nos relinquit. Quod dixit: *et in opera tua*, nimirum *respice*, nunc repetit: *et opera manuum nostrarum dirige super nos*, id est, tu praesidens nobis, fac ut recte operemur. Addit, *et opus manuum nostrarum dirige*, ut ostendat, omnia *opera* revocari ad unum opus, quod est radix omnium: hoc autem est opus charitatis. Nam *qui diligit, legem implevit.* Rom. XIII, 8.

PSALMUS XC.

Synopsis

Est cohortatio ad fiduciam in Dei auxilio firmissime collocandam. Forma psalmi est dramatica: nunc enim loquitur Propheta, nunc homo iustus, nunc ipse Deus. Psalmus est plenus metaphoris, et ideo non minus elegans, quam difficilis. Servit tentatis et tribulatis, ut fuse et pulcre exponit S. Bernardus. Caeterum in latina versione praefigitur hic titulus, Laus Cantici David; qui titulus tamen in codice hebraico non habetur, nec in omnibus codicibus graecis.

1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur.* Hoc primo versu continetur insignis promissio, per quam Spiritus s. certos nos reddit, auxilium divinum nunquam defuturum iis, qui vere spem suam in Deo repositam habent. *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, id est, quicumque sive dives, sive pauper, etc., sibi per fidem, ac fiduciam assiduam, constantem, ac firmam quasi domum facit in Deo, in quo habitat et quiescat: *in protectione Dei coeli commorabitur.* Hic promittitur merces confidentibus in Deo, et sensus est: Qui vere confidit in auxilio divino, spe sua non frustrabitur, sed omnino a Domino protegetur; ubi pulcre respondent verba singula singulis; verbo *habitat*, respondet *commorabitur*; verbo *in adiutorio*, respondet *in protectione*; verbo *Altissimi*, respondet *Dei coeli*. Hic admirari cogimur insipientiam hominum, qui tantam promissionem tam parvi faciunt: Deus omnipotens et verax dicit: *Confide, et protegam*, et vix invenitur, qui sicut oportet, illi se credere velit.

2. *Dicet Domino: susceptor meus es tu, et refugium meum; Deus meus, sperabo in eum.* Probat propheta propositionem suam testimonio iusti confidentis in Deum, qui de experimento suo testatur. *Dicet*, inquit, *Domino*, id est, gratias agens iustus, qui habitat in adiutorio Altissimi, confitebitur Domino, beneficium protectionis acceptum. Continent autem ista verba: *Susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus*, triplex beneficium Dei, pro quo iustus gratias agit. Primum est praeteritum, cum Deus ex ineffabili misericordia *suscipit* hominem iam lapsum in peccatum. Alterum est praesens, cum Deus ei, quem *suscipit* per gratiam iustificationis *refugium* est in omni tentatione. Tertium est futurum, cum erit Deus noster nobis summum bonum, quo fruemur, quando videbimus eum sicuti est. Iustus, igitur, quia cogitat, Deum sibi fuisse *susceptorem*, nunc esse *refugium*, et post hanc vitam fore beatitudinem, ideo concludit: *sperabo in eum*, in omni periculo et tentatione.

3. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.* Vir iustus, qui dixerat, *sperabo in eum*, rationem subiungit, *quoniam ipse liberavit me*, etc. q. d. Ipse enim me iam prope hostium insequentium, potissimum infernalium rebus implicatum expedivit, atque a minis mortem intentantium liberavit. Ita s. Hieronymus, Tirinus, Le Blanc et alii. Posset etiam per *verbum asperum* sententia supremi Iudicis intelligi. Ita s. Bernardus, qui sic habet: Multi timent tanquam asperum verbum, *Agite poenitentiam*; sed asperius erit: *Ite maledicti in ignem aeternum.*

4. *Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis eius sperabis.* Loquitur propheta, et confirmat verba hominis iusti: q. d. merito dixisti *sperabo in eum*;

vere enim liberavit te, et etiam deinceps liberabit ab omni periculo: nam *scapulis suis obumbrabit tibi*, id est, Deus instar gallinae aut aquilae sub alis suis te colliget, et sic *scapulis suis obumbrabit tibi*, ut neque ab ardore solis, neque a pluvia et ventis, neque a morsibus milvorum timeas: quare tutissime *sub pennis eius*, id est, sub protectione et defensione eius constitutus, sperare poteris liberationem et incolumitatem. Si placeat haec ad Christum referre, Christus ut Deus aquilae, homo gallinae comparatur; ut constat ex Deuter. xxxii et Matth. xxiii.

5. *Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno.* 6. *A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano.* Pergit propheta alia similitudine explicans protectionem divinam: *Scuto circumdabit te veritas eius*, id est: circumdabit te verax, et fidelis cura Dei instar scuti seu clypei: dicitur autem *circumdabit*, quoniam hoc scutum converti potest ad omnes partes, et opponi omnibus ictibus. Sequitur: *Non timebis a timore nocturno*, id est, hoc clypeo circumdatus non afficeris *timore* ab ulla re, quae *nocturno* tempore timorem incutere potest. *A sagitta volante in die*, id est, non timebis offensionem, sive calamitatem ullam diurnam: ponitur enim sagitta pro quacunque re, quae laedere potest interdium. *A negotio perambulante in tenebris*, est repetitio illius: *Non timebis a timore nocturno*, nam negotium perambulans in tenebris accipitur pro quacunque actione, quae de nocte laedere potest. *Ab incursu et daemonio meridiano*, est repetitio illius: *a sagitta volante in die*, significat enim incursus et daemonium meridianum, omnem occursum malum, sive omnem laesionem, omnem aëru-

nam, quae accidere potest in die, et consequenter in ipso tempore *meridiano*. Porro quamvis s. Augustinus et s. Bernardus serm. vi in hunc psalmum praedicta verba de diversis tentationibus intelligant, s. Chrysostomus autem, per noctem tempus adversitatis, per diem tempus prosperitatis significari velit, et alii aliter exponant; in hoc tamen conveniunt omnes, quod in verbis illis contineatur generalis promissio, qua securi redduntur ab omni periculo *nocturno* et *diurno*, qui confidunt in Deo, et armati sunt clypeo veritatis; nam si *Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. viii, 31.

7. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.* Pergit propheta, et describit victoriam hominis iusti et rite utentis clypeo veritatis. *Cadent* enim in hoc praelio ex commilitonibus *mille a latere, et decem millia a dextris, ad ipsum autem non appropinquabit* neque *timor nocturnus*, neque *sagitta volans in die*, neque *negotium perambulans in tenebris*, neque *daemonium saeviens in meridie*. Per *latus* videtur intelligi *sinistra*, cui opponitur *dextera*, et quidem *mille* dicuntur casuri a *sinistra*, et *decem millia* a *dextris*, quoniam per *sinistram* intelligitur *adversitas*, per *dexteram* *prosperitas*: multo autem plures ex hominibus cadunt et pereunt ex *prosperitate*, quam ex *adversitate*. Iam vero numerus ille *mille et decem millia* nihil aliud significat, nisi multos casuros a *sinistris*, sed multo plures a *dextris*.

8. *Veruntamen oculis tuis considerabis; et retributionem peccatorum videbis.* Est nova causa laetitiae homini iusto, cui promittitur quod cum magna voluptate visurus sit propriis oculis inimicos suos iacentes, et pro meritis punitos; quae promissio impletur aliquando in hac vita, sed plenissime im-

plebitur in die novissimo. Illud *considerabis* significat non obiter, sed accurate *videbis* omnes hostes tuos, qui et quot sint, quid meruerint, quid patiantur, *et retributionem peccatorum videbis*, id est, et tunc plane perspicies, quam mercedem habeant omnes impiorum labores.

9. *Quoniam tu es, Domine, spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.* Monuimus supra psalmum conscriptum esse per formam dialogi: iam ergo homo iustus intellectis, quae propheta dixerat, interloquitur, et ad Deum conversus dicit: *Quoniam tu es, Domine, spes mea*, q. d. Vera sunt, quae audiui, sed ideo vera sunt, non quia confido in viribus meis, sed quia in te confido, qui es unica et tota *spes mea*. Deinde propheta subiungit: *Altissimum posuisti refugium tuum*, q. d. recte ac sapienter posuisti Deum *spem* tuam, sic enim refugium tuum constituisti in arce omnium *altissima*, ad quam (ut mox dicetur) nullum malum attingere poterit. Observandum est, per *Altissimum* non intelligi adiectivum, sed ipsum Deum, cuius unum ex nominibus est *Altissimus*.

10. *Non accedet ad te malum; et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Explicat iam propheta, quid boni iustus consequatur ex eo, quod refugium sibi constituit in *Altissimo*, et dicit eum tutissimum fore ab omni *malo*. Duplex autem *malum* est, culpae et poenae. *Malum* culpae absolute et simpliciter *malum* est, de quo ait: *Non accedet ad te malum*. *Malum* poenae non est simpliciter *malum*, et de hoc dicit: *flagellum non appropinquabit tibi*. Videor equidem haec promissio spectare ad vitam futuram; si tamen sano modo intelligatur, etiam ad hanc vitam pertinet.

11. *Quoniam angelis suis mandavit de te; ut cu-*

stodiant te in omnibus viis tuis. Est rursus alia causa laetitiae et fiduciae hominis, praesertim iusti, quam dat propheta, dicens: *Angelis suis mandavit de te*, id est, quia Deus pro sua erga te benevolentia *angelis suis* praecepit, ut te in omnibus actionibus tuis ac periculis *custodiant*. Ex quo admone-mur, quanti faciat Deus genus humanum, cui tam magnos principes custodes attribuit.

12. *In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Versus hic metaphoricus facilis est, et solum explicandum est, quae sint manus angelorum, qui lapides in via, qui pedes hominum. *Manus angelorum* sunt intellectus et voluntas, sive sapientia et potentia; nam intelligendo et volendo omnia faciunt. *Lapides in via* sunt omnia impedimenta, quae occurrunt in hac vita, sive temporalia, sive spiritualia; scandala, tentationes, persecutiones, etc. *Pedes*, quibus ad lapides *offendere* solemus, sunt affectus humani, potissimum amor et timor. Qui igitur habitant in adiutorio Altissimi ab angelo custode ita iuvantur, ut vel *lapis* huiusmodi de via removeatur, vel eorum animus ita illustretur, ut *pede* inoffenso, id est, affectu elevato a terra securi transeant.

13. *Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.* Posteaquam propheta locutus est de angelis bonis, qui iustum in Deo confidentem custodiunt; adiungit de angelis malis, ac dicit eos iusto non praevalituros, sed e contrario ab eo *conculcandos* et conterendos. Vocat autem Satanam serpentem propter astutiam, et *leonem* propter ferociam. Et quoniam multa genera serpentium sunt; vocat eum *aspidem*, *basiliscum* et *draconem*. *Aspis* est daemon inspirans tristitiam, melancholiam, desperationem; *basiliscus*, daemon

ingerens vanam gloriam, praesumptionem, affectum carnalem; *draco*, avaritiam, gulam, desidiam; *leo*, superbiam, iram, vindictam.

14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Loquitur iam ipse Deus, qui in tribus ultimis versibus confirmat omnia, quae supra dicta sunt, et multa quoque addit. Sunt enim in his tribus versibus octo promissa Dei, et quidem quatuor pertinent ad hanc vitam: *Liberabo eum, protegam eum, exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione.* Quatuor reliqua ad vitam futuram: *eripiam eum; glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, ostendam illi salutare meum.* Ait igitur Deus: *Quoniam in me speravit, etc.*, id est, quoniam non in divitiis et honoribus, aliisque terrenis, sed in me uno spem suam posuit, *liberabo eum* ab omnibus malis. Haec est prima promissio, sequitur altera: *protegam eum* ab hostibus, quoniam maiestatem meam, potentiam, bonitatem, providentiam agnovit et adoravit.

15. *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.* In hoc versu alia quatuor promissa continentur, quorum duo prima, ut diximus, ad hanc vitam, reliqua ad futuram pertinent. *Clamabit ad me*, et de suis diffusis viribus me adiutorem toto corde invocabit, ideo *ego exaudiam eum*: et in omni tribulatione comes illi individuus adero; tandemque victorem ab hostibus *eripiam*, et cum gloria triumphantem omnium oculis exhibebo.

16. *Longitudine dierum replebo eum; et ostendam illi salutare meum.* Haec sunt duo postrema beneficia quae promittuntur ei, qui habitat in adiutorio Altissimi, et continent explicationem illius: *glorificabo eum*; gloria enim sanctorum nascetur ex

adeptione summi boni, summum vero bonum est aeterna felicitas; per *longitudinem dierum* significatur aeternitas, per illud quod sequitur felicitas: *et ostendam illi salutare meum*, sive iam per *salutare* intelligamus salutem, sive salvatorem, ut vult s. Augustinus. Si primum, sensus est, *ostendam illi salutem meam*, id est, efficiam, ut vir iustus non amplius ex fide vivat, credendo quod non videt, sed plane videat, et sentiat, et experimento proprio cognoscat salutem, quae ex me est: est autem salus haec ipsa Dei visio. Quod si per *salutare* intelligatur salvator, tunc sensus erit, *manifestabo illi salvatorem meum*, sive quem ego misi, et faciam ut vir iustus oculis mentis cernat eum qua Deus est, et oculis corporis cernat eundem qua homo est. Haec autem manifestatio divinitatis ipsa est vita aeterna, et summum bonum, et salus, sive sanitas perfecta totius hominis. Oremus Deum, ut qui promittere dignatus est tam ingentia bona, idem nobis gratiam largiatur, ut tantis promissionibus et in hac et in altera vita digni efficiamur.

PSALMUS XCI.

Synopsis

Hic titulus Psalmus Cantici, In die Sabbati continet argumentum psalmi. Est enim compositus, ut cantetur die sabbati ad erudiendum populum, ut discat die sabbati vacare laudibus Dei, praesertim ob creationem et gubernationem mundi.

1. *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime.* Haec est exhortatio ad laudandum Deum, et voce, et psalterio: *Bonum est, etc.,*

id est, iustum, utile, delectabile et honorificum est *confiteri Domino* confessionem laudis, idque non solum corde et lingua, sed etiam instrumentis musicis. Iustum est, quia debitum, utile, quia meritorium, delectabile, quia dulce est amanti laudare delectum, honorificum, quia munus est quasi proprium coelestium potestatum.

2. *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam et veritatem tuam per noctem.* Haec est materia confessionis. Bonum igitur est confiteri, ut annuntietur et praedicetur omnibus *misericordia tua*, qua mundum creasti, et *veritas* sive iustitia tua, qua mundum gubernas. *Mane, et per noctem*, id est, semper, continuo.

3. *In decachordo psalterio, cum cantico, in cithara*, q. d. de hac materia psallendum esse *in psalterio et cithara*, sed non sine dulci cantico vocis humanae. *Psalterium* dicitur *decachordum*, quia instrumentum erat decem chordarum.

4. *Quia delectasti me, Domine, in factura tua; et in operibus manuum tuarum exultabo.* Incipit nunc praedicare opus creationis, quod ad misericordiam pertinet. Contemplatus, inquit, facturam tuam, coelum, terram, sidera, plantas, etc., admirabilem animo voluptatem percepi: ac propterea *exultabo*, et exultans laudabo te *in operibus manuum tuarum*. Notandum est, non dixisse prophetam, *delectavit me factura tua*, sed tu, o Deus, *delectasti me in factura tua*; ex ea enim ascendit animus ad infinitam pulcritudinem tuam considerandam, etc.

5. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundae factae sunt cogitationes tuae*, q. d. Admiror magnitudinem et excellentiam operum tuorum; sed non comprehendo animo, vel cognitione tantam magnitudinem, nam *nimis profundae factae*

sunt cogitationes tuae, id est, sapientissimae illae *cogitationes*, quibus adinvenisti res tam admirabiles et perfectas, quibus nihil addi vel detrahi potest, tam sunt occultae, ut omnem intelligentiam superent.

6. *Vir insipiens non cognoscet; et stultus non intelliget haec.* Concludit hanc partem de creatione, affirmans, non esse hominum *insipientium*, sed sapientium cognoscere, quam magna et inscrutabilia sint opera Domini.

7. *Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum; et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.* Transit nunc ad opus gubernationis et providentiae divinae, in qua praecipue iustitia, sive veritas elucet. In hoc autem summa providentiae consistit, quod impii ad tempus florere permittantur, ut aeterna ariditate damnentur: iusti contra ad tempus ariditate mulctantur, ut in aeternum floreat. *Cum exorti fuerint peccatores sicut foenum*, id est, cum repente et in magna copia germinaverint et creverint *peccatores sicut foenum* solet, *et apparuerint omnes*, etc., id est, cum non solum germinaverint, sed etiam floruerint, ut habetur in hebraeo, et valde conspicui apparuerint, in sublimitate videlicet positi, et in divitiis abundantes.

8. *Ut intereant in saeculum saeculi: tu autem Altissimus in aeternum, Domine.* Subintelligitur aliquid, ut, hoc fiet, vel hoc divina providentia permittet, *ut intereant in saeculum saeculi*, id est, ideo dabit iniquis Deus aliquam prosperitatem temporalem, ut remunerentur aliqua bona opera eorum, et propter scelera sua puniantur morte sempiterna. *Tu autem Altissimus in aeternum, Domine*, id est: Tu autem, Domine, his valde dissimilis es, illi enim ad breve tempus emergunt ad aliquam altitudinem, tu autem in aeternum Altissimus es.

9. *Quoniam ecce inimici tui, Domine, quoniam, ecce inimici tui peribunt: et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.* Probat iniquos ad tempus solum, idque breve, prosperandos. *Ecce, inquit, inimici tui, ecce, inquam, inimici tui peribunt.* Illud *ecce*, significat repentinam mutationem, q. d. Qui virebant et florebant, subito peribunt. *Et dispergentur omnes, etc.*, est repetitio et declaratio prioris.

10. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum; et senectus mea in misericordia uberi.* Opponit nunc iustos impiis, et ostendit eos a divina providentia et iustitia vere *exaltandos*. Loquitur autem de se, tanquam de uno e numero iustorum, et ait: *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum*, id est, *cornu meum*, potentia videlicet et gloria, ac felicitas mea crescet in altum, non sicut fragile foenum, sed ut *cornu unicornis*, quod excelsum est, et valde robustum. *Et senectus mea in misericordia uberi*, id est, et haec felicitas mea etiam diuturna erit, et constans usque ad ultimam senectutem; nam *et senectus mea* erit apud Deum in abundanti *miseriordia*. S. Augustinus mystice per *senectam* intelligit vitam futuri saeculi.

11. *Et despexit oculus meus inimicos meos; et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.* Adiungit iustus ad felicitatem suam, quod non timebit amplius *inimicos* suos. *Et despexit, etc.*, id est, vidi et contempsi *inimicos* praesentes, quoniam divina providentia fecit, ut mihi nocere non possent. *Et in insurgentibus in me, etc.*, id est, et quantum ad *inimicos* absentes, qui maligni cum sint, in me insurgere cogitant, *audiet auris mea* nuntium punitionis et interitus eorum. Ita Symmachus, Theodoretus, Bellarminus, Tirinus et alii.

12. *Iustus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Quod de se propheta dixerat, transfert nunc ad alios iustos, quos eleganti similitudine comparat *palmae*, et *cedro*, ut opponat iniquis, quos comparaverat foeno. *Iusti* ergo instar *palmae* in aeternum virebunt, et efflorescent, et fructus dulcissimos adferent; et ut *cedri Libani* augebuntur, et crescent in maximam altitudinem, *multiplicatis* ramis honorum operum, et firmissimis radicibus perseverantiae innixi, nullo tentationum vento deiicientur, etc.

13. *Plantati in domo Domini, in atriiis domus Dei nostri florebit.* Reddit rationem, cur iusti instar palmarum et cedrorum sint futuri; quia *in domo Domini plantati* erunt, et *in atriiis Dei nostri florebit*, id est, in Ecclesia Dei per rectam fidem *plantati*, et aquis Sacramentorum, et verbi Dei rigati, in charitate fundati et radicati, flores honestatis et fructus honorum operum parient.

14. *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt, ut annuncient.* Id est, iusti crescent amplius, tum fortunae, tum naturae, tum gratiae donis in *senecta* sua vegeta et foecunda, nempe quando alii deficere et decrescere solent. *Et bene patientes*, id est, *bene dispositi*, valentes, vegeti et facile *patientes erunt* laborum. Illud, *ut annuncient*, pertinet ad versum sequentem.

15. *Quoniam rectus Dominus Deus noster: et non est iniquitas in eo.* Haec omnia, inquit, evenient iustis, *ut annuncient* iustitiam et immensam bonitatem Dei, quoniam, etiamsi ad tempus impios prosperari sinit, tamen suo tempore iustitiae suae iudicia exercet, remunerando iustos et puniendo iniquos.

PSALMUS XCII.

Synopsis

Laudat Deum ob creatum mundum, allegorice ob fundatam per Christum Ecclesiam. Psalmi titulus in codicibus latinis et graecis quibusdam habetur iste: Laus cantici ipsi David in die ante sabbatum, quando fundata est terra: id est, Psalmus feria sexta cantandus, quo die terra fundata est, scilicet plene, vel ut alii ex graeco vertunt, inhabitata est: nam die veneris creati sunt primi terrae incolae, Adam et Eva. Et eodem die per Christi passionem et mortem reparata est terra.

1. *Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, et praecinxit se.* Haec tum ad creationem, tum ad redemptionem accommodari possunt. *Dominus regnavit*, q. d. *Dominus regnum acquisivit, sive regnare coepit. Decorem indutus est*, gloriam videlicet, et maiestatem regiam. *Indutus est Dominus fortitudinem*, sive potentiam, et robur accepit, quod regiae maiestati necessarium est, *et praecinxit se*, id est, accinxit se ad regnandum et gubernandum. Si haec ad creationem referantur, dicetur, Deum *regnare* coepisse, quando mundum creavit. Si ad reparationem referantur, Christus in resurrectione regnum accepit, et tunc *induit decorem et fortitudinem*, etc. Ita s. Hieronymus, Theodoretus, Bellarminus, Tirinus et alii.

2. *Etenim firmavit orbem terrae, qui non commovebitur.* Regnare coepit Deus ab initio mundi, quia tunc constituit ab imis fundamentis orbem terrae, et *firmavit* ac stabilivit, ut commoveri non possit, ac per hoc praebuit hominibus, qui Deum regem agnoscere eique servire debent, stabilem

mansionem. Christus quoque per passionem et resurrectionem orbem terrae firmavit, ac stabilivit in una ac vera religione ac fide.

3. *Parata sedes tua ex tunc: a saeculo tu es.* Id est, quamvis *sedes* regni tui *parata* sit *ex tunc*, ex rerum creatione scilicet, vel ex resurrectione, tu tamen non tunc esse coepisti, sed *a saeculo*, ab aeternitate, sine principio es.

4. *Elevaverunt flumina, Domine: elevaverunt flumina vocem suam.* 5. *Elevaverunt flumina fluctuosos, a vocibus aquarum multarum.* 6. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Haec significant modum, quo Deus in creatione terram habitabilem fecit, ut esset firma sedes generis humani. Initio enim creationis, aquae terram universam operiebant, et magno motu inundationes *aquarum elevabantur*; sed Deus altior et excelsior increpuit, et compescuit *aquas*, easque in cavernas terrae conclusit, quod dicitur per illud: *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus*, id est, omnes *aquae* maris, atque omnis abyssus *aquarum*, magno et mirabili fremitu *elevabantur* super terram, sed magis *mirabilis* erat Deus *in altis*, unde has *electiones maris* et *furores fluctuum* coërcuit, fregit, compescuit. Ita s. Augustinus. Hoc clarius videtur in psalmo ciii. Caeterum in sensu posteriori describitur magnitudo persecutionum iudaeorum, quae per *flumina*, et magnitudo persecutionum paganorum, quae per *mare*, quod fluminibus multo maius est, intelliguntur: hae enim persecutiones motae sunt adversus Christi regnum in resurrectione inchoatum. Describitur quoque victoria Christi de omnibus his inimicis: nam *mirabilis in altis Dominus*, id est, sed Dominus *in altis* habitans *mirabilior* apparuit, cum de omnibus persecu-

toribus victoriam reportavit, et invitis omnibus regnum suum propagavit.

7. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* Respondet propheta tacitae obiectioni quae occurrere poterat, unde videlicet sciamus ea, quae dicta sunt de fundatione terrae, et reductione aquae, quibus rebus nullus testis adfuit. Respondet igitur propheta: id haberi ex *testimonio* Dei, qui haec revelavit servo suo Moysi, et *testimonium* illud valde *credibile* esse, cum Moyses multis signis et prodigiis, aliisque modis servum Dei fidelem et prophetam verum se esse probaverit. Idem dici potest de terra per Christum reparata; *testimonia* enim Christi ad nos per apostolos delata *credibilia facta sunt nimis*, tum ob signa et prodigia Christi et apostolorum, tum quia videmus impleta, quae praedicta sunt; tum ob infinita alia, quae fidem christianam omnino credibilem faciunt. Ex quibus concludit propheta, *domum* Dei, id est, Ecclesiam Dei, in qua talia *testimonia* continentur et praedicantur, debere sanctam et inviolabilem conservari usque ad mundi consummationem. Ita s. Hieronymus, Bellarminus, Tirinus et alii.

PSALMUS XCIII.

Synopsis

Agitur de providentia Dei punientis tandem malos, et remunerantis bonos, quamvis aliquamdiu iusto iudicio sinat prosperari malos et opprimi bonos. Psalmo huic praefigitur hic titulus: Psalmus ipsi David, Quarta sabbati: quod significat cantari solitum ab Hebraeis, quarta die post sabbatum, seu die mercurii.

1. *Deus ultionum Dominus: Deus ultionum libere egit.* Ponit initio David propositionem unam, ex qua possent omnes, si vellent, plane cognoscere, nullos malos impunitos fore. Propositio haec est: Dominus Deus iudex summus, iustissimus et potentissimus est, ut ei nemo resistere possit. *Deus ultionum Dominus*, id est, Dominus noster, qui proprie solus Dominus est, hic est *Deus ultionum*, id est, est summus iudex, ad quem ultio scelerum omnium pertinet. *Deus ultionum libere egit*, quando-cumque voluit punire peccatores; quia neminem timet, nullius personam accipit, nemo illum impedire, nemo resistere potest.

2. *Exultare, qui iudicas terram: redde retributionem superbis.* Quia dixit Dominum esse ultorem scelerum, precatur nunc consequenter ut officio suo fungatur, et puniendo impios claudat ora eorum, qui providentiam eius in dubium revocant. *Exaltare, qui iudicas terram*, id est, ascende solium tuum, qui iudex es universae terrae, *et redde retributionem superbis*, id est, profer sententiam damnationis in homines superbos, et sic vindictam sume de praecipuo scelere generis humani.

3. *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur:* 4. *Effabuntur et loquentur*

iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur iniustitiam? Reddit causam, cur petat iudicium in impios et superbos, quia nimirum diu iam videtur superbi, et impietas eorum diu durasse. *Usquequo, etc., gloriabuntur de viribus suis, de prosperitate sua, de sceleribus suis. Effabuntur et loquentur iniquitatem,* id est, iactabunt et praedicabunt iniusta opera sua. *Loquentur omnes, etc.,* id est, libere et sine ullo timore loquentur de rebus suis gestis vel gerendis homines impii?

5. *Populum tuum, Domine, humiliaverunt: et haereditatem tuam vexaverunt.* 6. *Viduam et advenam interfecerunt: et pupillos occiderunt.* Explicat iniustitiam, quam operantur impii, dum furere permittuntur. *Populum tuum,* id est, caetum piorum a te electum *humiliaverunt,* affligentes, et persequentes, *et haereditatem tuam,* id est, eundem caetum piorum, quem tuam possessionem et haereditatem esse voluisti, *vexaverunt* iniuste opprimentes. *Occiderunt etiam viduas* maritorum solatio destitutas, *et advenas,* qui procul a patria inter ignotos versantur, *et pupillos* qui parentibus, dum adhuc eorum auxilio indigerent, orbiati sunt.

7. *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Reddit rationem, cur iniqui tam audacter peccent, quia videlicet ita stulti sunt, ut dicant apud se, et existiment, Deum non habere providentiam rerum humanarum, et nullum esse iudicem, cui rationem operum suorum reddere teneantur.

8. *Intelligite, insipientes in populo: et stulti, aliquando sapite.* 9. *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* 10. *Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?* Est refutatio eius, quod supra dictum est,

non videbit, nec intelliget. Probat autem propheta Deum *audire*, et *videre*, quia ipse dedit hominibus *ures*, quibus audiunt, et *oculos*, quibus vident. Illud *plantavit* est metaphora, sicut etiam illud *fixit*. Probat praeterea, Deum intelligere et *arguere*; ait enim: *Qui corripit*, seu corripuit semper hucusque omnes *gentes*, parcat ne vobis, et *non arguet* vestram nequitiam? *Qui docet hominem scientiam*, et auctor est hominibus, ut intelligant, ipse eos *erudit*, ipse *docet*, dum in creatione dat eis mentem rationis capacem, et intelligentiae lumen infundit, ipse mente et intelligentia praeditus non erit? Illud *insipientes in populo* significat, iniquos esse homines insipientiores toto reliquo *populo*.

11. *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanae sunt.* Addit illam calumniam impiorum, de qua supra, *Non videbit*, etc., Deo non esse novam, ipse enim *scit cogitationes hominum quod vanae sint*. Homo enim post corruptam naturam peccato primi hominis, *vanus* factus est, et similis iumentis insipientibus, quae *non cogitant*, nisi praesentia.

12. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* Hoc sequitur ex versu superiore; nam si cogitationes hominum vanae sunt, quas nimirum ex se habent; certo sequitur, illum solum *beatum* esse, et non *vanum*, sed *plenum* veris et solidis bonis, quem Deus *erudire* dignatur, id est, cui Deus *oculos aperit* ad ea, quae vere bona sunt, aspicienda: atque ut ad ea perveniat, *de lege sua docet eum*, id est, intime illi persuadet, obedientiam legis divinae toto affectu mentis amplectendam esse.

13. *Ut mitiges ei a diebus malis: donec fodiat peccatori forea.* Subiungit propheta unum ex fructibus doctrinae divinae, qui est, ut homo doctus a

Deo moderatius ferat persecutiones impiorum, donec hi intereant. *Ut mitiges ei aerumnas et calamitates, quae pio homini obveniunt a diebus malis, a tempore videlicet persecutionis et tribulationis: et quamdiu mitigatione ista opus erit, donec fodiatur peccatori fovea, id est, donec ii intereant, qui ipsum vexant.*

14. *Quia non repellet Dominus plebem suam: et haereditatem suam non derelinquet.* Reddit rationem cur dixerit, *donec fodiatur peccatori fovea.* Praeparatur enim interitus peccatoribus a providentia divina, *quia Dominus non repellet plebem suam,* quamvis ei ad tempus videatur iratus, et affligi eam sinat. Atque idem aliis verbis repetit: *Et haereditatem suam,* etc. Vocatur autem *plebs* et *haereditas* Dei coetus piorum.

15. *Quoadusque iustitia convertatur in iudicium: et qui iuxta illam omnes qui recto sunt corde.* Declarat propheta coetum iustorum non repellendum, neque derelinquendum a Deo, usque ad diem ultimi iudicii, id est, quamdiu versamur in periculis tentationum. *Quoadusque iustitia convertatur in iudicium,* id est, usque ad illum diem, in quo *iustitia* divina, quae nunc videtur esse quasi in habitu vel in potentia, dum non punit impios, nec remuneratur pios, prodibit in actum *iudicii,* et quae erat *iustitia* quasi habitualis, fiet *iustitia* actualis reddens omnibus pro meritis sive coronam *iustitiae,* sive stipendium mortis aeternae. *Et qui iuxta illam,* etc., id est, et tunc qui *iuxta* divinam *iustitiam,* quae admirabilis apparebit in nubibus, proximi sedebunt, eam non timebunt, sed diligenter, cum sint *recti corde,* id est, conformes rectitudini eius, ac per hoc insti.

16. *Quis consurget mihi adversus malignantes?*

aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? q. d. Dum differtur adhuc ista conversio iustitiae in iudicium, valde necessarium est interea divinum adiutorium adversus iniustorum persecutiones. *Quis consurget mihi*, id est, pro me, ut recte interpretatur s. Hieronymus *adversus malignantes?* quis me a tanto numero malignorum hominum, ac daemonum proteget? *aut quis stabit mecum*, ut me videlicet defendat *adversus operantes iniquitatem?* Hoc posterius est repetitio prioris.

17. *Nisi quia Dominus adiuvit me: paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Declarat magnitudinem periculi, in quo versamur ob multitudinem malignantium, qui undique nobis occurrunt. Induit autem propheta personam omnium piorum, et ait: *Nisi quia Dominus adiuvit me*, id est, *nisi Dominus adiuvisset me, paulo minus habitasset*, etc., id est, parum abfuisset, quin hostes spoliassent me vita, et ad inferos misissent. Posset etiam hoc de morte animae et de inferno damnatorum intelligi.

18. *Si dicebam: Motus est pes meus: misericordia tua, Domine, adiuvabat me.* Explicat in quo consistat auxilium illud sine quo in inferno habitasset anima eius. *Si dicebam* Deo in oratione: *Motus est pes meus*, id est, vacillant res meae, perii, actum est de me, ni succurras: *misericordia tua, Domine, adiuvabat me*, q. d. statim atque Deo exposui necessitatem et periculum meum, ac simul infirmitatem meam, opem tulit mihi, illuminans intellectum, purificans affectum, et vires tribuens voluntati, etc. Ita s. Hieronymus, Tirinus, Bellarminus et alii.

19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.* Deus iustis per providentiam suam et-

iam tribuit magnam et ineffabilem consolationem, quae tribulationes vertit in materiam gaudiorum. Hinc ait: *Secundum multitudinem*, etc., id est, iuxta mensuram dolorum, qui tristitiam in corde meo gignebant, *consolationes tuae*, etc., id est, tribuisti consolationem in anima, quae mitigavit tristitiam cordis ex doloribus carnis proveniente. Sic ait Paulus: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. II. Cor. vii; 14.

20. *Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, qui fugis laborem in praecepto?* Reddit rationem, cur Deus consoletur iustos in tribulationibus eorum: et ratio est, quia Deus iustissimus cum sit, et praecepta laboriosa hominibus dederit, aequum fuit, ut iugum legis alioqui asperum et durum oleo consolationis liniret et suave redderet. *Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis*, id est, *numquid adhaeret* sive adiungitur tibi thronus inique iudicantium, vel, an aliquid tibi commune est, cum iniquo tribunali? *qui fugis laborem in praecepto*, id est, tibi, qui in praeceptis tuis observandis laborem inseris, sive facis, ut praecepta tua non sine labore impleri possint. Haec videtur literalis expositio huius loci satis obscuri: plures alias adhuc habet Bellarminus col. 716.

21. *Captabunt in animam iusti: et sanguinem innocentem condemnabunt.* Concludit psalmum affirmans impios inique acturos adversus iustos, sed providentiam divinam vigilaturam, et utrisque tandem pro meritis retributuram. *Captabunt in animam iusti*, id est, homines iniqui insidiabuntur iustis, ut capiant eos, *et sanguinem innocentem condemnabunt*, id est, et morti innocentem addicent, quamvis innoxium esse non ignorent.

22. *Et factus est mihi Dominus in refugium; et*

Deus meus in adiutorium spei meae, q. d. Illi quidem insidiabuntur mihi homini iusto, meque ad mortem etiam condemnabunt (loquitur enim propheta in persona iustorum): sed *Dominus factus est mihi in refugium*, ut mihi non noceant insidiae eorum: et *Deus meus factus est mihi in adiutorium spei meae*; id est, factus est, quasi petra solida, in qua tuto innititur spes mea.

23. *Et reddet illis iniquitatem ipsorum: et in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.* Haec est iustissima providentia Dei, ut tandem iustos adiuvet et iniquos disperdat. *Reddet illis, etc.*, id est, Deus faciet, ut *iniquitas* impii revertatur in caput ipsius impii, dum iusto non nocet, qui ob patientiam coronatur, et ipsi impio nocet, qui ob malitiam punitur. Quod explicatur sequentibus verbis: *et in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster*, cuius providentiam aut negaverant; aut contempserant.

PSALMUS XCIV.

Synopsis

Continet invitationem ad laudandum Deum corde, voce et opere: quare Ecclesia catholica rectissime hunc psalmum esse voluit initium nocturnae psalmodiae, quae, ut longissima est, ita ista praeparatione et exhortatione indigebat. Psalmi titulus est: Laus Cantici ipsi David.

1. *Venite, exullemus Domino: iubilemus Deo salutari nostro.* Invitat primum ad *exultationem* spiritus, deinde ad *iubilationem* vocis: non enim recte *iubilamus* voce, nisi prius mens excitata sit in Deum per internam laetitiam et admirationem. Ait igitur:

Venite, exultemus, etc., id est, omnes simul uniti *exultemus* spiritu, coram Domino prae laetitia gestientes, et voce *iubilemus* Deo, qui est salus nostra.

2. *Praeoccupemus faciem eius in confessione: et in psalmis iubilemus ei.* Hoc est, maturemus ante lucem venire ad Deum, et summo mane appareamus ante *faciem eius* in laude et gratiarum actione, sive ad laudandum eum. Potest etiam hic esse sensus: *Praeoccupemus faciem eius in confessione*, id est, antequam Dominus ad iudicium veniat, et vindictam de peccatis sumat, praeveniamus eum, confitendo peccata nostra, vel praeveniamus iram eius, et antequam irascatur, confiteamur peccata, *et simul iubilemus in psalmis*, extollendo misericordiam eius. Hic posterior sensus videtur magis ad mentem s. Hieronymi, s. Augustini, s. Gregorii nazianzeni, Theodreti et Euthymii.

3. *Quoniam Deus magnus Dominus: et rex magnus super omnes deos.* Reddit quinque rationes, cur Deus a nobis laudandus sit. Prima est, quia Deus noster est *magnus Dominus*, et *magnus rex super omnes* alios reges, qui etiam *dii* dici solent.

4. *Quia in manu eius sunt omnes fines terrae: et altitudines montium ipsius sunt.* Altera ratio est, quia Dominus habet in potestate orbem *terrae*: proinde omnes, qui *terram* incolunt, ipsi subiecti sunt, et sacrificium laudis illi debent. *Quia in manu eius*, id est, in potestate eius *sunt omnes fines terrae*, id est, tota *terra* usque ad ultimos eius *fines*. *Et altitudines montium ipsius sunt*, id est, non solum longitudo et latitudo *terrae*, sed etiam omnis *altitudo* usque ad *altissimos montes* ad eius ditio- nem pertinet. Observandum est, quod in codice quodam antiquo, ex quo legitur hic psalmus communiter in Ecclesia, huic versui praemittatur:

Quoniam non repellet Dominus plebem suam. Item legitur: *altitudines montium ipse conspicit, propius sunt*, quod nihil aliud significat, nisi Dominum esse quolibet altissimo monte altioŕem.

5. *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud: et siccam manus eius formaverunt.* Tertia ratio est, quia Deus non solum terrae, sed etiam *maris* dominus est, quippe qui *fecit illud*, et arenam *siccam* illi circumdedit, in qua tanquam in vase continetur: quare aequum est, ut homines, qui ex *mari* maxima commoda percipiunt, illi gratias agant, eumque laudibus efferant.

6. *Venite, adoremus, et procidamus: et ploremus ante Dominum, qui fecit nos.* Quarta ratio est, quia idem Dominus non solum fecit terram et maria, sed etiam nos homines fecit: nos autem factorem nostrum peccatis offendimus. *Venite, adoremus, et procidamus, et ploremus* deslentes ingratitudeŕem et peccata nostra *ante Dominum, qui fecit nos*, ac per hoc omni iure Dominus noster est, atque illi omnem obedientiam debemus. *Adorare* in hebraeo significat *prosterni et procumbere*, quod explicatur per vocem *procidamus*.

7. *Quia ipse est Dominus Deus noster: et nos populus pascuae eius, et oves manus eius.* Haec est quinta ratio, quia Dominus non solum nos fecit, sed particulari providentia nos regit, quomodo pastor proprium gregem. Dicimus autem *oves manus Dei*, vel quia Deus nos fecit, ut exponit s. Augustinus, vel quia Deus, quasi *manu* propria nos regit, ut communiter alii.

8. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Haec est secunda pars psalmi, qua propheta exhortatur populum Dei, ut non solum voce, sed etiam opere Deum laudet. Sacrificium

autem operis Deo gratissimum est obedientia, quam exhibemus praeceptis eius. Sic igitur hic dicit Spiritus s.: *Hodie si vocem eius*, id est, Domini, *audieritis*, id est, *si vocem meam audieritis* qui Dominus vester sum, *nolite obdurare corda vestra*. Illud *hodie* significat hoc tempore, id est, dum tempus huius vitae durat. Illud *nolite obdurare corda vestra* significat, parum prodesse *vocem* Domini *audire*, nisi ea *vox* penetret intima cordis, et inflectat ad fidem et obedientiam: cur autem *vox* Dei non penetret, causa est *durities cordis*.

9. *Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea*. Ponit exemplum obdurationis; nam patres antiqui educti de Aegypto, non semel obduraverunt cor suum, nolentes credere promissis Dei, neque illi obedire. *Sicut in irritatione*, quando Deum ad iracundiam provocarunt, quod factum est *secundum diem tentationis in deserto*, id est, in tempore illo, quo me saepius *tentaverunt in deserto*, ubi scilicet *tentaverunt me* explorare volentes omnipotentiam meam, *probaverunt me, et viderunt opera mea*, id est, ubi etiam experti sunt me esse Omnipotentem, quia viderunt mirabilia *opera mea*.

10. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi: Semper hi errant corde*. Explicat clarius tempus irritationis et tentationis in deserto. *Quadraginta annis*, id est, toto tempore, quo duxi eos per desertum, *offensus fui generationi illi*, id est, *offensus* ab illis, sive *infensus* illis fui, *et dixi: Semper hi errant corde*, id est, ducuntur variis desideriiis, et ideo errant, et vagantur extra rectam viam salutis. Psalterium romanum habet: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, quod*

idem est cum superiore: scilicet, propinquavi illis, ut de proximo querelas illorum audirem, eosque variis plagis flagellarem.

11. *Et isti non cognoverunt vias meas; ut iuravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.* Declarat, cur corde erraverint: quia *non cognoverunt vias*, id est, *leges meas*, et sensus est: Isti, qui *semper errant corde, non cognoverunt vias meas*, quibus itur ad requiem, ac per hoc in illam non introierunt, *prout iuravi in ira mea: Si introibunt*, id est, quod non introibunt *in requiem meam*. Per requiem intelligitur terra promissionis, in quam paucissimi eorum, qui ex Aegypto exierunt, introierunt. Anagogice intelligitur coelum. Ad Hebr. III et IV. Caeterum in Psalterio romano, et apud s. Augustinum habetur: *quibus iuravi*, sed sensus semper est idem.

PSALMUS XCV.

Synopsis.

Invitat omnes ad laudandum Deum in Sion, aut potius in Ecclesia Christi, ob redemptionem et salutem per Christum partam, et ob iudicia Dei aequissima. Ita sentiunt S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, Theodoretus, et Euthymius. Porro quamvis hic psalmus 1. Paralip. xvi. dicatur cantatus fuisse in translatione arcae in Sion: tamen videtur iterum decantatus, cum templum Dei reaedificabatur post Babylonicam captivitatem. Unde multi interpretes suspicantur, ab Esdra additum fuisse titulum: Canticum ipsi David, Quando domus aedificabatur post captivitatem.

1. *Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.* Incipit ab exhortatione ut pro communi beneficio communiter ab universa terra gratiae agantur Deo. Ter autem repetit, *Cantate Domino*, ut etiam intra *Afferte Domino*, ut obscure insinuaret Mysterium SS. TRINITATIS, quod in T. N. aperte praedicandum erat. Vocat *canticum novum*, *canticum pulcrum*, et sapienter compositum, vel *canticum* pro novo beneficio.

2. *Cantate Domino, et benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutare eius.* Incipit explicare materiam *cantici* et laudationis, quae est Salvatoris adventus. *Annuntiate de die in diem salutare eius*, id est, praedicate cum cantu, et laudibus salutem venturam, *de die in diem*, id est, omni die.

3. *Annuntiate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius*, id est, notam facite non solum iudaeis, ut faciebant prophetae, sed etiam *gentilibus* gloriam Dei: et *annuntiate* omni-

bus populis admiranda opera Dei, ex quibus manifestatur *gloria* eius.

4. *Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.* 5. *Quoniam omnes dii gentium daemonia: Dominus autem coelos fecit.* Declarat, quae sit gloria Domini, quae mirabilia opera eius, quae paulo ante semper et ubique praedicanda esse dicebat. Haec est ergo gloria Domini quod *magnus* sit absolute quoad omnia; quod iuxta hanc magnitudinem sit *laudabilis* valde, quod denique *terribilis* sit *super omnes deos*, qui ullo modo dicuntur dii. *Quoniam omnes dii gentium, daemonia*, etc., id est, propterea Dominus *terribilis est super omnes deos*, falsos videlicet, et a gentibus per errorem adoratos, *quoniam* hi dii non sunt veri dii, sed *daemonia*, sive spiritus mali: *Dominus autem* non est spiritus creatus, sed spiritus creator, qui *coelos fecit*, et omnia quae coeli ambitu continentur, id est, res omnes creatas.

6. *Confessio et pulcritudo in conspectu eius: sanctimonia et magnificentia in sanctificatione eius.* Dixerat, Deum esse magnum et terribilem; nunc addit eundem esse undique laudabilem, pulcherrimum, gloriosum, sanctissimum. *Confessio et pulcritudo in conspectu eius*, sive ut chaldaeus habet, *laus et gloria coram eo*, id est, laus, seu materia laudis et pulcritudo, sive decor et gloria semper adsunt Deo. *Sanctimonia*, id est, sanctitas, sive puritas, et *magnificentia*, sive maiestas, semper relucet *in sanctificatione eius*, id est, in sanctuario sive templo sancto, quod in coelis ipse Deus habet.

7. *Afferte Domino, patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.* Praedixerat praedicandam esse notitiam Dei omnibus gentibus per Christi adventum:

nunc praedicat convertendas esse omnes gentes et glorificaturas Deum. Sed praedicat hoc iterum per modum hortantis, dicens: *Afferte Domino, patriae gentium*, id est: O familiae *gentium* (nam πατριὰ graece familiam significat) toto orbe diffusae, cum vobis annuntiata fuerit *gloria* Domini, qui de coelo ad terram descendit, et peracta redemptione iterum gloriosus ascendit: accurrite ad tabernaculum Domini, et *afferte gloriam et honorem*, glorificando verbis et operibus Deum, et sanctum *nomen eius*.

8. *Tollite hostiās, et introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius*. Intelligenda videtur haec oblatio de spiritualibus hostiis, quales sunt sacrificium cordis contriti, confessio peccatorum, oratio, ieiunia, etc. Etiam sunt qui hunc locum exponunt de sacrificio Missae, quod successit omnibus sacrificiis Hebraeorum.

9. *Commoveatur a facie eius universa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*. Hactenus quasi a longe praevidebat *regnum* Messiae, et ad annuntiandum et recipiendum eum hortatus est; nunc quasi ipsum venientem cernat, spiritu exultat et hortatur ad venerationem et laetitiam. S. Hieronymus et s. Augustinus uti et graeci, Theodoretus, Euthymius et alii haec referunt ad utrumque Christi adventum, ait igitur: *Commoveatur a facie eius universa terra*, id est, *commoveantur* commotione timoris et reverentiae omnes habitatores *terrae* ante faciem Domini venientis. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*, id est, praedicate *gentibus* omnibus, quod Dominus adveniens *regnum suum* auspiciatus sit. Iustinus, Martinus, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Augustinus et alii legunt, *quia Dominus regnavit a ligno*, ex qua lectione Ecclesia videtur illud accepisse:

Impleta sunt quae concinit
 David fideli carmine,
 Dicendo: In nationibus
 Regnavit a ligno Deus.

10. *Etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur: iudicabit populos in aequitate.* Hoc regnum merito convenire Christo, probat duplici ratione: prima est, quia *correxit orbem terrae*, etc., id est, quia *orbem terrae* nutantem ob pravas institutiones gentilium, ita *correxit* per legem evangelicam, ut iam *commoveri* non possit, si legem illam sequatur et observet, *iudicabit populos*, etc.; haec est altera ratio, q. d. non solum *correxit orbem terrae* sanctissimis legibus suis, sed etiam tempore suo orbem iustissime *iudicabit*.

11. *Laetentur coeli et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo eius; gaudebunt campi, et omnia quae in eis sunt.* 12. *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum a facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram.* Excitat ad laetitiam omnes creaturas propter adventum Domini tum primum, tum secundum. Primus enim adventus omnia consecravit, secundus omnia glorificabit. *Laetentur ergo coeli, et exultet terra*, quae sunt partes mundi principales: *commoveatur etiam mare* motu exultationis, *et plenitudo eius*, id est, omnia quae continentur in eo. *Gaudebunt campi*, etc., id est, sic erit, ut optavi, nam *gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt*; imo etiam ipsa *ligna sylvarum exultabunt* ad praesentiam Conditoris: *exultabunt autem quia venit Dominus redempturus orbem terrae in misericordia*; et *quoniam iterum venit iudicare orbem terrae in iustitia*, ita s. Hieronymus, s. Augustinus, Theodoretus, Euthymius, Tirinus, Bellarminus et alii.

13. *Iudicabit orbem terrae in aequitate, et populos in veritate sua.* Concludit praedicens, quale futurum sit illud iudicium. Scilicet *iudicabit orbem terrae in aequitate*, id est, in iustitia, idem repetit, *et populos in veritate sua*, id est, in ea veritate et fidelitate, qua semper adimplet, quod promisit; promisit autem, se redditurum unicuique secundum opera sua, non accepturum personas, iuste denique *iudicaturum*.

PSALMUS XCVI.

Synopsis

Depingit extremum iudicium et maiestatem iudicis Christi: idque ex occasione terrae a se recuperatae, postquam hostibus erepta, et sibi legitimo Domino reddita est, forte post caedem Absalonis: unde psalmo praemittitur hic titulus: Huic David, quando terra eius restituta est.

1. *Dominus regnavit, exullet terra; laetentur insulae multae.* Sensus est: Christus Dominus, qui aliquando humilis ante reges iudicandus stetit, iam *regnavit*, quia data est ei potestas in coelo et in terra, Matth. xxviii; ideo *exullet terra*; *et laetentur insulae multae*, id est, *exultent et laetentur omnes habitantes orbem terrarum, sive habitent continentem terram, sive insulas, quae plurimae sunt in mari.*

2. *Nubes et caligo in circuitu eius: iustitia et iudicium correctio sedis eius.* Significatur adventus Christi ad *iudicium*, veniet enim in nubibus coeli. Matth. xxiv et xxvi. *Nubes et caligo in circuitu eius*, id est, *nube caliginosa et spissa, in modum throni adaptata, circumdatus Christus descendet. Iustitia et*

iudicium erunt *correctio sedis eius*, id est, rectitudo et stabilitas throni eius consistet in *iustitia* et *iudicio*. S. Hieronymus illud *correctio* vertit *firmamentum*, et LXX interpretes alibi vertunt stabilitas, rectitudo, praeparatio.

3. *Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in circuitu inimicos eius.* Significatur ignis ille, qui praeibit ante iudicium; et quo conflagrabit universus orbis. Ita Theodoretus et theologi, atque interpretes passim contra Iansenium, qui id exponit de linguis igneis in Pentecoste. Dicit autem propheta solos *inimicos Dei* illo *igne* inflammandos, quia hi molestissime ferent per illum *ignem* absumi opes omnes terrenas, quas diligebant.

4. *Illuxerunt fulgura eius orbi terrae: vidit et commota est terra.* Declaratur modus, quo ante iudicium ignis maximus exoriatur: id enim fiet per instrumenta *fulgurum*, quae frequentissima erunt; quae ubi *illuxerint orbi terrae*, *terra ipsa*, quasi sensum haberet et videret horrendam speciem coelestium iaculorum, tota contremiscet et tremore *commovebitur*.

5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini; a facie Domini omnis terra*, q. d. *Montes* quantumvis maximi et durissimi sint, imo omnis terra vim divinae potentiae tunc sustinere non poterunt. Verba autem non ita accipienda sunt, quasi re ipsa futurum sit ut *montes et omnis terra sicut cera fluant*, sed quia ita fieret, si Deus vellet.

6. *Annuntiaverunt coeli iustitiam eius: et viderunt omnes populi gloriam eius*, id est: Tunc annuntiabunt (saepe iam monuimus prophetas sumere praeteritum pro futuro) *coeli*, id est angeli de coelo, *iustitiam eius*, qui veniet reddere unicuique secundum opera eius; et tunc *videbunt omnes populi*,

nullo excepto, gloriam eius, quando omne genu *flectetur*, coelestium, terrestrium et infernorum.

7. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia; et qui gloriantur in simulacris suis.* Per modum imprecationis praedicit *confusionem* maximam, quae operiet in die iudicii omnes idololatrias; tunc enim apertissime cognoscent, idolorum habitatores fuisse spiritus immundos, cum quibus ad aeterna supplicia damnabuntur.

8. *Adorate eum omnes angeli eius: audivit et laetata est Sion.* 9. *Et exultaverunt filiae Iudae, propter iudicia tua, Domine.* Id est, angeli Christo ad iudicium venienti astabunt, et eundem adorabunt; ex quo sequetur maxima laetitia et exultatio in veris fidelibus, cum viderint tanta gloria coram toto mundo affici Dominum suum. Utitur autem propheta apostrophe ad *Angelos*, et quasi exhortatur ad faciendum, quod sua sponte eos facturos esse praevidebat. Per *Sion* significatur Ecclesia, per *filias Iudae* animae fideles.

10. *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos.* Reddit rationem cur populus Dei exultabit, quia ex iis, quae dicta sunt, colligetur Dominum populi Dei, esse vere supremum Dominum. Nunquam enim Deus manifestavit gloriam suam apertius, quam faciet in novissimo die, quando omnes omnino homines et angeli tam boni, quam mali curvabunt genua ante illum.

11. *Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.* Concludit psalmum, exhortans populum Dei ad sectandam vitae puritatem et sanctitatem, quae et in hoc et in futuro tempore magnum praemium habebit; praemium subiungit

exhortationi, dicens: *Custodit Dominus*, etc., id est, *Custos* est Dominus fidelis et diligens, fortis et prudens diligentium se, ut vitam ipsorum defendat et liberet de potestate iniquorum, qui ordinarie inimici sunt hominum iustorum.

12. *Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia.* Hoc est alterum praemium iustorum, quod non solum liberabuntur a malis, sed etiam implebuntur bonis. Per *lucem* potest intelligi *lux* favoris divini, vel quod verius videtur, lumen iustitiae et intelligentiae de quo habetur Sap. v. Et quia gaudium est *iusto* facere iustitiam, ut philosophus docet, recte subiungitur *et rectis corde laetitia: iustitia* enim dirigit cor, et *recto cordi* ineffabilis infunditur *laetitia*. Posset etiam per *lucem* supra intelligi *lux* aeternae et coelestis gloriae.

13. *Laetamini, iusti, in Domino: et confitemini memoriae sanctificationis eius.* Hoc sequitur ex iis, quae dicta sunt. Si enim *laetitia orta est rectis corde*, utique sequitur, ut *recti corde* sive *iusti*, laentur, idque in solo Domino, qui eis iustitiam et laetitiam donat. Nec solum laetari debent iusti in Domino, sed etiam *confiteri memoriae sanctificationis eius*, id est, laudibus celebrare *memoriam sanctificationis* a Deo acceptae. Potest etiam per *sanctificationem* intelligi *sanctitas* Dei, qua ipse sanctus est. Est autem confiteri *memoriae sanctitatis* Dei, cum laudibus semper recordari Deum nostrum sanctissimum esse, ac per hoc debere nos summo studio *sanctitati* studere.

PSALMUS XCVII.

Synopsis

Praedicat David fere, ut in psalmo xcv, Christi adventum primum et secundum, illum ad salvandum, istum ad iudicandum. Titulus est: Psalmus ipsi David.

1. *Cantate Domino canticum novum; quia mirabilia fecit.* Invitat homines ad Deum laudandum ob mirabilia quae fecit.

2. *Salvavit sibi dextera eius et brachium sanctum eius.* Explicat, quae sint illa mirabilia; et proponit unum in quo continentur omnia. Hoc mirabile fecit Dominus, quod ipse solus virtute sua salvavit mundum. Illud salvavit potest referri ad Filium, qui sua virtute mundum salvavit; et ad Patrem, qui per dexteram suam, id est, per Christum, mundum salvavit. Illud sibi secundum hebraicam phrasim idem significat, quod ipsa, ac si propheta dixisset: dextera ipsa salvavit, sive ipsa salutem mundi operata est. *Et brachium sanctum eius*, est repetitio: idem enim est dextera et brachium, id est, virtus et potentia.

3. *Notum fecit Dominus salutare suum; in conspectu gentium revelavit iustitiam suam.* Potest hic versus etiam referri ad Patrem, qui notum fecit Salvatorem, quem misit per prophetas et deinde per apostolos, et per eosdem revelavit iustitiam suam. Potest etiam referri ad Filium, qui ipse praedicando notum fecit salutare suum, id est, salutem, quam attulerat. Postea in conspectu gentium per apostolos suos revelavit iustitiam suam, id est, mysterium absconditum gentibus manifestavit; est autem hoc mysterium iustitia sua, id est, adimpletio promissionis de redemptione generis humani.

4. *Recordatus est misericordiae suae, et veritatis suae domui Israël.* Haec est ratio, cur Deus notum fecerit *salutare suum*, etc., quia hoc promiserat patribus; et quamvis distulerit aliquamdiu implere; tandem tamen *recordatus est*, id est, fecit quod faciunt ii qui *recordantur*; non enim in Deum cadere potest oblivio, sed metaphorice dicitur *recordari*, cum implet quod distulerat implere, quasi oblitus esset. *Recordatus est igitur misericordiae*, qua promisit patribus *Salvatorem*, et *recordatus est veritatis suae*, id est, fidelitatis et iustitiae in adimplenda promissione: Haec autem facta est *domui Israël* non gentibus, tametsi etiam harum misereri decreverat Deus.

5. *Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.* Hic declaratur fructus praedicationis apostolicae: non enim frustra *notum fecit Dominus* per evangelicam praedicationem *salutare suum*. Audierunt enim gentes et crediderunt, atque super fidem et experimentum gratiae *viderunt omnes termini terrae*, id est, tota terra usque ad terminos suos salutem sive Salvatorem. Illud *omnes termini terrae*, non significat omnes et singulos homines, sed multos ex omni natione et gente.

6. *Iubilate Deo omnis terra: cantate et exultate et psallite.* Praedicat gaudium ex notitia Salvatoris oriturum: idque per modum invitantis et cohortantis. *Iubilate*, inquit, *omnis terra*, id est, omnes fideles, qui pervenistis ad notitiam veri Dei et Salvatoris Iesu Christi, magna voce laudate et gratias agite, *cantate* lingua, *exultate* animis, *psallite* moribus, et quia mores, sive virtutum opera multiplicia sunt, ideo multa hic subiiciuntur genera instrumentorum.

7. *Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: in tubis ductilibus et voce tubae corneae.*

Quatuor instrumenta numerantur, quibus Deo psallere debent, qui viderunt salutare Dei per fidem, et videre cupiunt per speciem: *cithara*, *Psalterium* (idem enim significat in voce *psalmi*, et in sonitu psalterii), *tuba ductilis*, id est, e fuso ductoque metallo confecta, et denique *tuba cornea*. Haec instrumenta erant in usu apud hebraeos secundum litteram; sed a variis varie explicatur eorum significatio spiritualis. Bellarminus applicat quatuor virtutibus cardinalibus: *citharam* prudentiae, *psalterium* iustitiae, *tubam ductilem* fortitudini, *tubam corneam* temperantiae, etc.

8. *Iubilare in conspectu regis Domini: moveatur mare et plenitudo eius: orbis terrarum, et qui habitant in eo.* Invitat ad iubilandum non solum terram in genere, sed omnes partes eius. *Iubilare in conspectu regis Domini*, id est, cum advenerit rex magnus, qui Dominus omnium est. *Moveatur ergo mare* et quidquid in eo est, motu exultationis; *moveatur* quoque simili exultationis motu *orbis terrarum*, et universi qui habitant in eo, id est, omnes homines, quia Dominus Salvator est omnium, maxime fidelium. I. Tim. iv.

9. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram.* Mare et terram invitavit: invitavit nunc flumina et montes, ut similiter edant signa laetitiae. Sonitum fluminum comparat *complosioni manuum*: quod autem dicitur *montes exultabunt*, in hebraeo est, *montes laudabunt*, sed omnia sunt metaphoricæ. Optat ergo propheta ex amore et desiderio erga Messiam venturum, ut omnes res creatæ laetentur et laudent eo modo quo possunt. Illud *quoniam venit iudicare terram*, vel ad primum, vel potius ad secundum adventum referri potest.

10. *Iudicabit orbem terrarum in iustitia, et populos in aequitate.* Haec conclusio eadem est cum conclusione psalmi xcv, excepto ultimo vocabulo *in aequitate*, per quam intelligitur *directio*, sive *rectitudo*, et est repetitio sive declaratio vocabuli *iustitiae*.

PSALMUS XCVIII.

Synopsis

Cohörtatur Propheta ad agnoscendum regnum Dei, eundemque Deum adorandum et invocandum, uti fecerunt Moyses, Aaron et Samuel. Est autem in verbis psalmi duplex sensus: unus de regno David, monte Sion et arca Testamenti: alter de regno Christi, de Ecclesia et de glorioso corpore eius. Titulus est idem cum superiore.

1. *Dominus regnavit, irascantur populi; qui sedet super Cherubim, moveatur terra.* Significatur stabilitum fuisse regnum Dei in Ierusalem tempore Davidis, quantumvis inimici eius idololatrae indignarentur et turbarentur. *Dominus regnavit, irascantur populi*, id est, *irascantur licet et indignentur populi*, hostes Israëlis, *regnavit ab initio, regnabitque aeternum Dominus.* *Qui sedet super Cherubim, moveatur terra*, id est, *ille Dominus regnavit, qui sedet propitiatorio super Cherubim*, quasi in curru suo triumphali, ac manifestat se Israëli, dans dona ac beneficia et responsa: ille, inquam, *regnavit, moveatur licet et turbetur terra.* Iuxta posteriorem sensum, de quo supra diximus, significatur regnum Christi declaratum post resurrectionem et ascensionem eius: tunc enim *irati sunt populi, et commota est terra contra Dominum; sed illis invitis*

et repugnantibus *regnavit Dominus Christi*, et contrita sunt idola, etc.

2. *Dominus in Sion magnus: et excelsus super omnes populos*. Redditur ratio; cur frustra irascantur populi; vel adversus Deum, qui regnum suum stabilivit in Sion, quia ipse regnans in Sion magnus est et excelsus, etc., vel adversus Christum, qui regnat in Ecclesia, quae per Sion et Ierusalem intelligitur, quia magnus est et excelsus super omnes populos, ut nullus ei resistere valeat.

3. *Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile et sanctum est: et honor regis iudicium diligit*. Hortatur propheta, ut non solum non irascantur adversus Dominum, sed potius ad illum conversi laudibus celebrent nomen eius, quoniam terribile et sanctum est. Id quod sequitur: *et honor regis iudicium diligit*, est quasi ratio quaedam, cur nomen Dei sive Christi sit terribile et sanctum. Illud et enim ponitur pro quia, uti etiam saepius alibi. Est ergo sensus iste: Terribile et sanctum est nomen Domini, qui rex iustissimus est, quoniam dignitas regia (hoc significat *honor regis*), vel sanctitas regia, vel auctoritas regia, id proprie requirit; ut rex iudicium diligat, hoc est amore iustitiae recte iudicet.

4. *Tu parasti directiones: iudicium et iustitiam in Jacob tu fecisti*. Quasi Deo vel Christo dicat: Vere tu, ut rex optimus et iustissimus, *iustitiam diligis*: nam tu parasti directiones, id est, leges rectissimas nobis sanxisti, inquit s. Hieronymus. Et praeterea iudicia rectissima exercendo demonstrasti te diligere iustitiam, nam in populo tuo Jacob, semper iustitiam et iudicium fecisti; puniendo peccata et remunerando benefacta, ut patet ex Testamento veteri et novo.

5. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorat: scabellum pedum eius: quoniam sanctum est.* Ex his colligit propheta, adorandum esse Deum; et quidem, iuxta priorem sensum, hortatur ad Deum adorandum non solum in se ipso, sed etiam in arca foederis, quae dicebatur *scabellum pedum eius*. I. Paral. xxviii. Iuxta sensum posteriorem, hortatur propheta, ut omnes adorent humanam Christi naturam, quae *scabellum* est divinitatis, longe nobiliori modo, quam esset arca foederis. Neque solum adoranda est Christi humanitas, ut est in propria forma, sed etiam ut latet sub speciebus sacramentalibus in Eucharistia; sic docent ex hoc loco psalmi s. Ambrosius lib. III. de Spiritu sancto, cap. xii, et s. Augustinus in explicatione huius versiculi. Ex quo refellitur error haereticorum qui negant Christum in Eucharistia adorandum esse.

6. *Moyses et Aaron in sacerdotibus eius: et Samuel inter eos, qui invocant nomen eius.* Hic iam ponit propheta exemplum, quod imitemur, trium insignium virorum, qui Dominum exaltaverunt et adoraverunt *scabellum pedum eius*, atque adorantes invocaverunt Dominum, et audivit eos Dominus, et mirabilia per eos operatus est. Nominat autem tres principes viros, qui super omnes eminuerunt post Rempubl. iudaicam constitutam. *Moyses* enim fuit summus princeps politicus et summus sacerdos Hebraeorum: *Aaron* fuit summus sacerdos tantum; *Samuel* summus princeps politicus tantum; fuit quidem Samuel etiam levita, sed extra ordinem et ex speciali dispensatione et indulto Dei facultatem habuit sacrificandi.

7. *Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos; in columna nubis loquebatur ad eos.* Illud in columna nubis loquebatur ad eos, vel intelligendum est,

ad aliquos eorum, ut de Moyse constat ex Exod. xxxii, et de Aaron ex Num. xvi, vel, ut exponit s. Augustinus, per *columnam nubis* significatur obscura locutio, quomodo certum est, etiam ad Samuelem Deum locutum esse, ut patet ex I. Reg. c. iii.

8. *Custodiebant testimonia eius et praeceptum, quod dedit illis.* Haec est ratio, cur Deus prompte audiret Moysen, Aaronem et Samuelem, quoniam obedientes erant eius imperio. *Custodiebant enim testimonia eius*, id est, omnia mandata, quae communia erant omnibus, nec solum haec, sed *et praeceptum quod dedit illis*, id est, *custodiebant etiam praeceptum* de recte gubernanda et docenda multitudine, quod proprie ad ipsos, ut principes populi, pertinebat.

9. *Domine Deus noster, tu exaudiebas eos: Deus, tu propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Respicit ad molestias et iniurias sanctis viris illis illatas a Core, Dathan, Abiron, Saule, etc., adeoque illud *adinventiones* accipitur passive; ut vertit Symmachus, id est, *adinventiones* quas Moyses, Aaron et Samuel non faciebant ipsi, sed patiebantur ab aliis. Quare hic est sensus: *Deus, tu propitius fuisti eis*, quando te invocabant pro peccatis populi; nam in eorum gratiam toti multitudini parcebas, *et ulciscens in omnes adinventiones eorum*, id est, *ulciscens* fuisti omnes iniurias, quas ipsi patiebantur ab iniquis, qui adinveniebant varias calumnias adversus sanctos principes suos.

10. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster.* Concludit propheta, paucis mutatis repetens vers. 5, quoniam in hoc versu continetur summa totius psalmi, sive scopus quo omnia diriguntur. Et iuxta sensum priorem, de quo supra diximus.

hortatur David hebraeos, ut *adorent* Dominum in monte Sion, ubi erat tabernaculum, et ubi futurum erat templum. Iuxta sensum posteriorem hortatur christianos, ut *adorent* Deum in Ecclesia sancta, quae *mons sanctus* et Sion spiritualis est.

PSALMUS XCIX.

Synopsis

Psalmus habet hunc titulum: Psalmus in confessione: inde cognoscitur argumentum: Hortatur enim Propheta omnes ad hilarem Dei confessionem, id est, ad laudem, gratiarum actionem et cultum.

1. *Iubilatè Deo omnis terra; servite Domino in laetitia. Iubilare*, ut saepe diximus, est magna et laeta voce laudare: *servire autem in laetitia*, est non coacte, et cum amaritudine, sed spontanee, non ex timore, sed ex dilectione obedire.

2. *Introite in conspectu eius, in exultatione*, id est, *introite* in domum Dei, ubi peculiari modo *conspicitis* Deum, et *conspicit* vos Deus; sed *introite in exultatione* cordis, animo erecto et inflammato, ut Deus vos præ desiderio sui *exultantes* videat.

3. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos et non ipsi nos.* Ad excitandam devotionem, quae in domo Dei requiritur, nihil magis prodest, quam attenta consideratio magnitudinis Dei, et beneficiorum eius, hinc ait: *Scitote, etc.*, id est, considerate et attenta cogitatione cognoscite, quoniam *Dominus*, ad quem laudandum et adorandum acceditis, *ipse est verus Deus*, quo nihil maius, etc. *Ipsè etiam est*, cui vitam vestram et totum quod estis debetis.

Sed dicet aliquis: Nemo nescit, se non esse a se factum; quid igitur admonet nos Spiritus s. dicens: *ipse fecit nos, et non ipsi fecimus nos?* etc. R. Etiam si nemo ignorare possit, se non esse sibi vitae auctorem; tamen multi sunt, qui non considerant a quo *facti sint*: propterea utilissimum fuit, ut serio admonerentur homines cogitare, se non esse sibi auctores vitae, sed vitam et omnia uni debere Deo.

4. *Populus eius et oves pascuae eius; introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis, confitemini illi.* Commemoratur alterum beneficium Dei; ob quod iustum est, ut ei confessionem laudis persolvamus, quia videlicet non solum *fecit nos*, sed etiam regit et pascit nos: deinde pergit: *introite portas domus eius, sive tabernaculi eius, in confessione laudis: et atria eius in hymnis, et sic confitemini illi, vos omnia illi debere, ac de manu eius bona omnia suscepisse.*

5. *Laudate nomen eius: quoniam suavis est Dominus, in aeternum misericordia eius, et usque in generationem et generationem veritas eius, sive veracitas et fidelitas eius.* Addit propheta tres proprietates Dei, quasi tres rationes cur dignus sit, cur ab omnibus laudetur, quia *suavis*, quia *misericus*, quia *verax*; quae tria ita connexa sunt, ut unum nascatur ab alio. *Suavis est Dominus*, et quia *suavis*, facile miseretur, quia *miseretur*, promittit liberationem, quia *verax*, semper implet promissa.

PSALMUS C.

Synopsis

*David in se ipso describit officium pii et iusti principis.
Titulus est: Psalmus ipsi David.*

1. *Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine.* Haec est quasi praefatio totius psalmi, qua significat David, se cum cantu celebraturum *misericordiam et iudicium* Domini, ut omnes intelligant benefacta Davidis, quae in psalmo commemorantur, esse dona *misericordiae* Dei, coronanda postea per *iudicium* iustum eiusdem Domini.

2. *Psallam et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* Dicit se non solum voce cantaturum *misericordiam et iudicium* Dei, sed etiam per instrumentum celebraturum et mente contemplaturum. *Psallam*, id est, psalterium manu pulsabo, et *intelligam in via immaculata*, id est, considerabo, attendam, cogitabo *viam immaculatam* et perfectam, quae consistit in *misericordia et iudicio*, *quando venies ad me*, id est, hoc autem faciam, non viribus meis, sed auxilio gratiae tuae, *quando venies ad me*, ut me illumines et doceas, et accendas, et moveas.

3. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meae.* Hic incipit narrare mores suos laudabiles, ut caeteri imitentur. Ac primo declarat, qualis fuerit apud se et in oculis Dei: deinde qualis fuerit erga alios et in oculis populi; ait igitur: *Perambulabam*, etc., id est, vitam ducebam; conservans in primis cordis *innocentiam*. Illud *in medio domus meae*, significat in penetralibus *domus meae*, ubi non erat, qui me reprehendere posset. Multi enim publice videntur innocentes, privatim tales non sunt.

4. *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam; facientes praevaricationes odivi.* Innocentiae cordis addit innocentiam oculorum et manuum, q. d. Averti oculos tum mentis, tum corporis ab omni iniustitia; et non solum oculos averti ab omnibus rebus illicitis, nec tantum praevaricationem legum operari nolui: sed etiam odio habui omnes facientes contra legem.

5. *Non adhaesit mihi cor pravum; declinantem a me malignum non cognoscebam.* Docet nunc qualis esset apud alios: *Non adhaesit mihi cor pravum*, id est, non adiunxit se mihi homo pravi cordis. *Declinantem a me*, id est, a mea vita, et a meis probis moribus, *non cognoscebam*, id est, non tolerabam inter officiales meos.

6. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequerbar.* Alia virtus plane regia hic aperitur: David rex sapiens et iustus, eiusmodi delatores iniquos gravissime puniebat. Extat etiam apud Ethnicos laus imp. Traiani, quod delatoribus operam non daret: et contra Maximini reprehensio, quod delatoribus nimium indulgeret.

7. *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Non solos detractores, sed etiam superbos et cupidos David detestabatur, et merito: nihil enim tristius accidere populis potest, quam si ministri principum superbi, aut avari sint: ait ergo: *superbo oculo, etc.*, id est, non convescebar quasi domestico, aut familiari homini *superbo oculo*, sive homini qui oculis, vel superciliis elatis *superbiam* ostendit; neque convescebar homini *insatiabili corde*, cuius cupiditas nullis opibus *satiatur*. S. Hieronymus et Euthymius per *insatiabilem corde* avarum intelligunt.

8. *Oculi mei ad fideles terrae, ut sedeant mecum:*

ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Iam David adiungit, eligere se fuisse solitum fideles et probos: haec enim duo praecipue requiruntur in bonis ministris, ut *fideles* sint Domino suo, et probi ad propriam et aliorum salutem. *Oculi mei* intenti erant ad *fideles terrae*, id est, ad eos, qui ex omni terra Israël *fideliore*s probabantur, ut *sedeant mecum*, id est, meo lateri perpetuo iungerentur, meque adiuvent in regno administrando. *Ambulans in via immaculata*, id est, innocenter vivens, *immaculatis* moribus vitam ducens, is mihi praecipuus minister erat.

9. *Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum*, q. d. Non erit inter intimos familiares meos, qui facit opera *superba*, qui *superbe* insultat aliis, vel opprimit alios. *Et qui loquitur iniqua*, id est, mendacia, quibus *iniquae* alios fallat sive in commerciis, sive in aliis negotiis, *non direxit*, etc., scilicet vitam suam, sive cursum desiderii sui, id est, non prosperatus est coram me, nec perseveravit apud me: non enim invenit gratiam in oculis meis.

10. *In matutino interficiebam omnes peccatores terrae; ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Concludit, demonstrans zelum suum in purganda civitate Domini. *In matutino*, id est, mature, celeriter et tempestive, antequam mala invalescerent, *interficiebam omnes peccatores terrae*, eos videlicet, qui morte digni erant, et quibus vita concedi non poterat sine periculo innocentium. Id autem faciebam, *ut disperderem*, etc., id est, ut *civitati* sanctae pacem suam et tranquillitatem restituerem, exturbatis inde omnibus perturbatoribus. Haec, quae dicta sunt in persona Davidis, aptius

conveniunt Christo regi: qui potissimum *in matutino* futuri saeculi *disperdet omnes operantes iniquitatem*, et deinceps *civitas* sancta, Ierusalem coelestis erit secundum nomen suum visio pacis.

PSALMUS CI.

Synopsis

Titulus est Oratio pauperis, Cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam. Ex hoc titulo habetur argumentum psalmi: est enim hic psalmus formula quaedam orandi, qua uti poterit unusquisque pauper et afflictus, cum valde anxius fuerit, et effundere voluerit precem suam ad Deum. Ecclesia hunc psalmum numerat inter septem poenitentiales: non est enim pauperior ac miserior peccatore.

1. *Domine, exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.* Hunc versum assidue pronuntiat Ecclesia: didicit enim a propheta, petendam esse a Deo audientiam, antequam petitiones particulares exponantur.

2. *Non avertas faciem tuam a me, in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.*

3. *In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.* Haec est prima petitio, et principalis alicuius pauperis *tribulati*, sive peccatoris poenitentis, prima gratia, et fons gratiarum est respectus Dei: ideo iste primo omnium petit a Deo respici. Addit: *in quacumque die, etc.*, id est, quodcumque ex respectu gratiae tuae spiritum *contribulatum* gero, et inde clamo ad te: peto, ut benigne *exaudias me*. Et idipsum explicans subiungit: *in quacumque die invocavero te, etc.*

4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei; et ossa mea sicut cremium aruerunt.* Reddit rationem, cur dixerit: velociter exaudi me. Ratio enim est, quia vita humana velocissime tendit ad interitum, et ideo nisi peccati vulnus velociter curetur, periculum est, ne plaga incurabilis fiat. *Quia defecerunt*, etc., id est, tempus vitae meae hucusque transactum, velocissime praeteriit instar *fumi*, et sic transibit quod superest. *Et ossa mea*, quae sunt quasi columnae totius corporis, brevissimo tempore *aruerunt*, ac per hoc debilitata sunt, ut brevi ruinam minentur. Per *cremium* intelligitur lignum, seu virgultum aridum, quod facile cremari potest, ita s. Hieronymus.

5. *Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum; quia oblitus sum comedere panem meum.* Pergit deplorare statum suum praeteritum, ac dicit: *Percussus sum* a sole prosperitatis mundanae, *ut foenum*, quod facillime *exarescit*: *et aruit cor meum*, quia occupatus in curis huius mundi *oblitus sum comedere panem meum*, panem videlicet veritatis coelestis, qui proprie *panis* noster est, non communis cum bestiis. Verissima sententia, et ab iis, qui prosperitate fruuntur, assidue consideranda.

6. *A voce gemitus mei adhaesit os meum carni meae.* Explicat nunc dolorem vitae praeteritae, et fructus dignos poenitentiae. *A voce gemitus mei*, seu propter continuos *gemitus*, et suspiria factus sum *exsuccus* et sine carne, adeo ut *ossa adhaereant* cuti meae: *caro* enim hic sumitur pro *pelle*. Ita ex s. Hieronymo, Bellarmino, Tirino, Le Blanc, et aliis.

7. *Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.*

8. *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius*

in tecto. Addit ad fletum et ieiunia *solitudinem et vigilias*: quae propria sunt vere poenitentium. Tres aves commemorat propheta, quibus poenitentem similem facit. *Pellicanus* avis est lucifuga, et *solitaria* in Nili *solitudinibus* commorans, ut s. Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Albertus M., et alii scribunt. *Nycticorax*, alias noctua sive bubo, degit in domibus dirutis, et quod nos legimus *in domicilio*, supplendum est, diruto, dicitur autem *nycticorax*, quasi noctu clamans. *Passer* denique habitat quidem in domibus, sed in parte domus suprema, etc. Significant autem hae tres aves tria genera poenitentium: aliqui enim omnino loca deserta petunt, alii poenitentiam agunt intra civitates, sed in coenobiis et exiguis cellulis, et magnam noctis partem in divinis laudibus decantandis consumunt. Alii veluti *passeres solitarii in tectis* habitant eminentes animo super terrena: hi quidem in mundo, sed de mundo non sunt, dum non subiiciuntur opibus, aut honoribus, etc., horum est proprium *vigilare* adversus tentationes et pericula sua et suorum, etc.

9. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei; et qui laudabant me, adversum me iurabant*. Vita eorum, qui serio poenitentiam agunt, displicet peccatoribus, qui in peccatis haerere volunt. *Tota die*, etc., id est, qui antea mihi amici erant, nunc me mutato facti sunt *inimici*, et omni tempore exprobrabant mihi hanc mutationem, quasi insipienter agerem; *et qui antea laudabant me*, quia *laudatur impius*, cum male fecerit, postea *adversum me iurabant*, id est, iuramento inter se praestito conspiciabant.

10. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam*. Dat rationem, cur exprobrarent ei inimici ipsius, quoniam scilicet

insipiens esse arbitrabantur, tantam asperitatem vitae sponte assumere. Porro hic locus sic potest intelligi: Quotidie in amaritudine eram, et ipsa amaritudo, quae per *cinerem* significatur, erat mihi *panis* quotidianus; et assiduus fletus erat mihi quotidianus *potus*, sustentabar amaritudine, reficiebar lacrymis, etc.

11. *A facie irae et indignationis tuae: quia elevans allisisti me.* Ecce cur verus poenitens, cinere saturari et lacrymis refici eligat, quia recogitat *indignationem* Altissimi. Id ergo faciebam, *a facie irae et indignationis tuae*, id est, quia conspiciebam *iram et indignationem tuam* adversus me succensam ob admissa peccata; hoc autem cernebam, *quia elevans* ex gratia tua ad maximam dignitatem amicitiae et filiationis tuae, postea merito peccati mei *allisisti me* ad terram, deturbans de dignitate amici et filii, ad sortem inimici et servi rebellis.

12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt; et ego sicut foenum arui.* Primus homo elevatus antea ad gloriam magnam, ut posset in aeternum vivere, postea per peccatum allisus est cum tota posteritate et mortalis effectus, *declinantibus diebus* eius velut *umbra*, ipse quoque *sicut foenum aruit*. Ait igitur propheta in persona poenitentis: Non solum ego ab ira tua allisus sum in terra ob peccata propria, sed etiam ex antiqua et communi allisione *dies mei*, etc.

13. *Tu autem Domine, in aeternum permanes: et memoriale tuum in generationem et generationem.* Haec est altera pars psalmi, in qua propheta in persona poenitentis spem reconciliationis concipit et reparationem futuram per Christum praedicit. *Tu autem Domine, etc.*, sensus est: Ego quidem ut foenum arui: *tu autem, Domine*, quem Messiam expectamus, *in aeternum permanes*; et nostra quidem

memoria cum sonitu perit, *memoriale autem tuum*, id est memoria tua, propagabitur semper *in generationem et generationem*. Haec de Christo intelligenda esse patet ex apostolo ad Hebr. i.

14. *Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.* q. d. Ideo memoriale tuum propagabitur in generationem, quia tu quoque non oblivisceris misereri populi tui: sed *exurgens misereberis Sion*, et misertus advenies et salvabis nos; *quia* sicut per spiritum video, *tempus miserendi venit*, id est, prope est, *ut veniat*, iam propinquat, etc. David rem futuram ex certitudine luminis prophetici cernebat ut praesentem.

15. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius: et terrae eius miserebuntur.* Praedicta renovatione sanctae Sionis, etiam praedicit *servos Dei*, scilicet apostolos totos se duros ecclesiae aedificationi. *Quoniam*, inquit, *placuerunt servis tuis*, iis scilicet, quos tibi *in servos* elegisti et praedestinasti, iis, inquam, *placuerunt lapides eius*, id est, placuit aedificatio novae Ierusalem, *placuit colligere et congregare lapides vivos*, qui super fundamentum iam positum aedificarentur; *et terrae eius miserebuntur*, id est, et *terram ipsam novae Ierusalem* fovebunt et amabunt.

16. *Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam.* Id est, et tunc cum aedificabitur nova Sion, gentiles convertentur, et *timebunt* timore sancto, piaeque veneratione *nomen tuum, Domine Iesu*, et pariter convertentur *omnes reges terrae, et timebunt gloriam tuam*, id est, maiestatem tuam ut regis regum, etc.

17. *Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.* Ecce cur timebunt omnes gentes et reges gloriam Christi, quoniam in praesenti, invitis

licet et repugnantibus gentibus et regibus, aedificavit ecclesiam suam; et in futuro *videbitur in gloria sua*, quando veniet iudicare saeculum.

18. *Respexit in orationem humilium; et non sprexit preces eorum.* Videbitur ergo Filius Dei in gloria sua, quia *respexit in orationem humilium* martyrum, et aliorum piorum servorum suorum, *et non sprexit preces eorum*, et ideo veniet iudicaturus et vindicaturus sanguinem eorum de his, qui sunt in terra.

19. *Scribantur haec in generatione altera; et populus qui creabitur, laudabit Dominum.* Id est, notentur haec mysteria pro generatione olim futura: et *populus* qui erit futuris temporibus, *laudabit Dominum*, cum viderit impleta, quae tanto antea praedicta sunt.

20. *Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit.* Haec est ratio cur populus novi testamenti laudabit Dominum, quia Dominus *de excelso* sanctuario suo dignatus est *aspicere* vallem nostrae miseriae.

21. *Ut audiret gemitus compeditorum; ut solveret filios interemptorum.* Ideo autem Dominus excelsus se usque ad terram humiliavit, ut de proximo *audiret gemitus compeditorum*, quos princeps huius mundi captivos fecerat, et *compeditos* retinebat; et ut *audito gemitu solveret* eos, liberosque dimitteret. Quod impletum fuisse in suo adventu Dominus testatus est Luc. iv, 19. Per *filios interemptorum* intelliguntur *fili* veteris Adami et Evae, qui fuerunt primi occisi ab astutia serpentis.

22. *Ut annuntient in Sion nomen Domini: et laudem eius in Ierusalem.* Venit Dominus salvare compeditos, et eruere de potestate tenebrarum, ut conversi ad Deum, glorificent nomen Domini in

spirituali *Sion*, quae est Ecclesia. Quod idem repetit, dicens, *et laudem eius annuntient in Ierusalem*.

23. *In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino*. Explicat tempus, quo liberati a potestate tenebrarum laudare debeant nomen Domini. *In conveniendo populos in unum*, id est, quando *populi* nationum, qui antea divisi erant ambulantes post varios deos, *convenient in unum*, et efficiuntur *unum* corpus, et erit eis *unus* spiritus, *unus* Deus, *una* fides, etc., et quando non solum *populi*, sed etiam *reges* eorum *convenient in unum* corpus Ecclesiae, ut et ipsi *serviant Domino*.

24. *Respondit ei in via virtutis suae: Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*. Hunc versum obscurissimum varii varie interpretantur: praeplacet expositio Bellarmini, quae haec est: Dixerat Dominus prophetae: *Scribantur haec in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum*, etc. *Respondit ei* propheta *in via virtutis suae*, in flore aetatis suae, cum esset in via virtutis suae robustissimae: *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*, id est, fac ut intelligam, et serio mihi persuadeam, *paucos* fore *dies* vitae meae, ne forte deceptus hoc flore aetatis, arbitrer me longissimam vitam habiturum, et rapiar hinc, quando minus cogito, imparatus, et sic non pertineam ad *populum qui creabitur*, et qui perpetuo *te laudabit* in coelesti Ierusalem. Posset etiam bene dici, sic *respondisse* pauperem, de quo habetur in titulo: et ita sentit Euthymius.

25. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui*. Prima pars pertinet ad versum superiorem: nam quia dixerat: *paucitatem dierum meorum nuntia mihi*, addit orans: *Ne revoces me in dimidio dierum meo-*

rum, id est, *ne revoces me in medio cursu vitae meae, quando minus expecto mortem, quando paratum me non invenires. Quod sequitur in generationem et generationem anni tui, videtur esse ratio, cur aequum sit, ut Deus hominem tamdiu permittat vivere, quamdiu necesse est, ut sancte moriatur. Q. d. Anni tui, Domine, aeterni sunt: aequum igitur est, ut imagini tuae spatium indulgeas vivendi amplum et commodum, ut requiritur ad salutem aeternam acquirendam.*

26. *Initio tu, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli.* 27. *Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.* 28. *Et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Probat Deum solum esse aeternum ex eo, quod solus ipse est immutabilis: *Initio tu, Domine, terram fundasti*, id est, antequam mundus esset, *tu, Domine, eras, et terram a fundamentis fecisti, et opera manuum tuarum sunt coeli*, id est, non solum *terram*, sed etiam *coelum* condidisti. *Ipsi, coeli* videlicet, *peribunt*, quod de mutatione non quoad substantiam, sed quoad modum intelligendum est, *tu autem permanes. Et omnes sicut vestimentum veterascent*, id est, *omnes coeli*, quoad externam figuram et modum consumentur. *Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur*, id est, sicut pallium aliquod vetus, removebis a coelo externum istum habitum coelorum, et novo indues; et sic *mutabuntur coeli* quoad externam faciem, non quoad internam substantiam. *Tu autem idem ipse es, etc.*, id est, tu nullo modo mutaberis, quantavis longitudine annorum.

29. *Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur.* Descripta aeternitate

Dei, et mundi consummatione ac renovatione, praedicat in mundo renovato participes aeternitatis fore servos eius. *Filii servorum tuorum habitabunt*, id est, apostoli cum parentibus eorum patriarchis, *habitabunt* in regno tuo, in renovatis coelis, in coelesti Ierusalem: neque illi solum, sed et *semen eorum*, id est, quotquot illi per Evangelium genuerint, si in fide et dilectione permanserint, *in saeculum dirigentur*, id est, in aeternum recti et stabiles in omni prosperitate permanebunt. Huc scilicet perducit vera poenitentia, quae initio psalmi descripta est.

PSALMUS CII.

Synopsis

Primo exponit Propheta beneficia Dei erga electos suos. Deinde ostendit, unde veniant ista beneficia, et ad quos pertineant. Denique ad agendas gratias angelos et omnes etiam creaturas invitat. Hic psalmi titulus Ipsi David, nihil habet novi.

1. *Benedic, anima mea, Domino: et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius.* David pie credens, unum se esse de numero electorum, excitat ipse se in persona omnium electorum ad *benedicendum Dominum. Benedic, anima mea, Domino*, q. d. *Anima mea*, cogita ingentia Dei beneficia, et lauda benefactorem. Neque tu sola laudes Dominum, sed *omnia, quae intra me sunt*, vertantur in linguas, et *benedicant nomini sancto eius*. S. Hieronymus illud, *quae intra me sunt*, vertit, omnia viscera mea, q. d. ex intimo corde lauda Deum.

2. *Benedic, anima mea, Domino: et noli obli-
sci omnes retributiones eius.* Per *retributiones* in-
telliguntur beneficia quae nobis *retribuit* Deus: pos-
sunt beneficia Dei dici *retributiones*, quia nunquam
sunt simplicia, ut loquitur Bellarminus, sed dupli-
cia semper.

3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis:
qui sanat omnes infirmitates tuas.* Incipit enumerare
beneficia Dei: Primum est remissio peccatorum.
Qui propitiatur, etc., id est, gratis debita condon-
nat, quantumvis magna et multa: nec solum *pro-
pitiatur iniquitatibus*, sed etiam *sanat omnes in-
firmitates*, ut abscindat radices peccatorum.

4. *Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coro-
nat te in misericordia et miserationibus.* Transit a
beneficiis gratiae ad beneficia gloriae. *Qui redimit*,
etc., id est, qui per redemptionem, quae est in Chri-
sto, liberat *vitam tuam* a morte sempiterna, et trans-
fert in regnum suum, *coronans* te corona gloriae in
misericordia et miserationibus. Ita Hieronymus, Au-
gustinus, Theodoretus, Euthymius et alii.

5. *Qui replet in bonis desiderium tuum: reno-
vabitur ut aquilae iuventus tua.* Explicat, quid in se
contineat corona gloriae. Duo enim continet, satie-
tatem *desiderii* et corporis immortalitatem: tunc e-
nim *desiderium* animae conquiescet, et fames cordis
satiabitur, cum fruetur summo *bono*, quod continet
omnia *bona*. Accedet autem, per gloriosam resurre-
ctionem, *renovatio* corporis in beatam, et nunquam
senescentem *iuventutem*. Porro comparatur haec
renovatio renovationi *aquilarum*, non quod *aquila*
per innovationem vitam perpetuare possit, sed quod
utcumque adumbrare soleat corporum beatorum
innovationem, praesertim cum diutissime vivat.
Quomodo vero *aquilae* *renoventur*, incertum est: s.

Hieronymus scribit, hoc fieri per crebram mutationem pennarum, etc.

6. *Faciens misericordias Dominus, et iudicium omnibus iniuriam patientibus.* Declarat nunc fontem horum bonorum, de quibus dixerat, esse *miseri- cordiam* Dei. *Faciens misericordias*, etc., id est, Dominus noster ipse est, qui benefacit, qui largitur munera, qui liberaliter tribuit bona sua: et idem ipse ex bonitate sua liberat omnes oppressos de manibus iniquorum.

7. *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israël voluntates suas.* Explicat, quod de Dei misericordia et iustitia dixit: nam *Moysi* singulari servo suo *notas fecit* Deus *vias suas*, quae sunt misericordia et veritas: *notas autem fecit vias suas*, quia dedit ei legem sanctissimam, per quam tum ipsi *Moysi*, tum omnibus *filiis Israël* declaravit *voluntates suas*, quae sunt, ut sicut ipse misericors est et iustus, ita et nos simus: et haec ipsa fuit magna misericordia Dei, quod nos ita instruere dignatus sit.

8. *Miserator et misericors Dominus: longanimis et multum misericors.* Haec nomina Dei mirum in modum consolari possunt homines bonae voluntatis. Dicitur *miserator*, quia paternum affectum habet; dicitur *misericors*, quia plurima beneficia tum naturae, tum gratiae nobis confert; dicitur *longanimis*, id est, tolerans, patiens, tardus ad iram; dicitur *multum misericors*, quia nos evehet ad aequalitatem angelorum et similitudinem Dei, quam tunc accipiemus, cum videbimus eum, sicuti est.

9. *Non in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur.* Explicat per partes praedicta nomina Dei, ac primo loquitur de pio affectu Dei erga timentes se. *Non in perpetuum irascetur*, id est, *irascetur* quidem interdum Deus peccantibus

electis suis, eosque flagellabit, sed brevi reconciliabitur eis. Manet enim in corde patris paterna pietas, unde et ipsa flagella procedunt. Idipsum aliis verbis repetit: *neque in aeternum comminabitur*, id est, non semper iratus minas intentabit, sed vicissim eos blande consolabitur.

10. *Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* Transit ad secundum nomen, ac dicit, Deum ex infinita misericordia sua non reddidisse nobis poenas, quas merebamus; sed insuper dona multiplicasse, quae non merebamus. Quid enim meretur peccator nisi mortem?

11. *Quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.*

12. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.* Haec pertinent ad idem nomen secundum; probat enim propheta, Deum non retribuuisse electis secundum peccata eorum, quoniam *corroboravit misericordiam suam* in beneficiis cumulandis, et iniquitatibus longissime removendis. Utitur autem comparationibus *distantiae coeli a terra, et ortus ab occasu*, sive maximae altitudinis et maximae longitudinis, q. d. Quantum distat coelum a terra, tantum et eius misericordia erga nos *timentes se*, superat omnem humanam misericordiam; et ex infinita hac *misericordia* peccata nostra poenasque iis debitas a nostra anima tantum repulit, *quantum distat oriens ab occidente*, adeo, ut nullum incommodum afferre possint. Ita Bellarminus, Tirinus, Le Blanc, etc.

13. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Explicat propheta hoc versu, et duobus sequentibus, tertium nomen, videlicet,

longanimis; et ait: *Quomodo miseretur pater, etc.*, q. d. sicut parentes invicto quodam affectu *miserentur* miseriarum infantium suorum, eorumque infirmitates tolerant, sic Dominus *miseretur timentium se*, dum eorum errata non ut iniurias respicit, sed ut aegritudines filiorum considerat, *ipse enim novit figmentum nostrum*, id est, quia probe novit, nos e terra plasmatos variis concupiscentiis obnoxios, ac per hoc miserabiles esse.

14. *Recordatus est quoniam pulvis sumus: homo sicut foenum dies eius, tanquam flos agri sic efflorescit.* 15. *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscat amplius locum suum.* Declarat, quod dixit nos esse figmentum. *Recordatus est quoniam pulvis sumus*, id est, consideravit nos misericordia dignos esse, quoniam ex pulvere plasmati sumus. Addit ad maiorem fragilitatis nostrae declarationem similitudinem, et ait: *Homo sicut foenum dies eius*, id est, homo sic se habet, ut dies eius sint velut dies foeni; *tanquam flos agri sic efflorescit*, id est, et idem homo tempore brevissimo florebit sicut flos agri. *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet*, id est, spiritus vitalis sive ipsa vita corporalis non permanebit in homine, sed transiens in eo erit, et nunquam subsistet in eodem statu, quia semper mutabitur, de infantia ad pueritiam, de pueritia ad adolescentiam, etc., et denique ad mortem. *Et non cognoscat amplius locum suum*, id est, non redibit ad locum, unde discessit, nec videbit amplius aetatem, quam dimisit.

16. *Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum.* Hic tandem explicatur quartum nomen versus VIII est *multum misericors*. Igitur *misericordia Domini*, quae fuit ab

aeterno super timentes eum in praedestinatione, durabit usque in aeternum in glorificatione; atque ita erit Deus multum misericors, sive multitudinem, sive magnitudinem, sive durationem beneficiorum consideremus.

17. *Et iustitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum eius.* 18. *Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.* Haec est quasi appendix magnae illius misericordiae, quam exercet Deus erga timentes se. *Et iustitia illius*, id est, veracitas et fidelitas Dei, qua semper reddit quod promittit, conservabitur *in filios filiorum, his, qui servant testamentum*, id est, pactum eius. *Et memores sunt mandatorum eius*, non ut ea solum mente et cogitatione revolvant, sed diligenter adimpleant.

19. *Dominus in coelo paravit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur.* Demonstrat posse Deum facere, quae promisit timentibus se, quia iudex est omnium, et ideo *paravit* et stabilivit thronum suum in altissimo loco. *Et regnum ipsius*, etc., id est, sedem habet *in coelo*, non ut iudex sub aliquo rege, sed ut iudex supremus et rex super omnes reges, nam regia potestas eius *omnibus dominabitur*.

20. *Benedicite Domino, omnes angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius*, id est, ad obediendum iusso et nutui Dei, supplendum est, semper promptissimi. In fine psalmi invitat propheta omnes alias creaturas ad *benedicendum Domino*, et praedicandas laudes eius; ac hic primum invitat *angelos*, et ne forte per hos intelligeremus solos *angelos* ultimi chori, sequitur:

21. *Benedicite Domino, omnes virtutes eius: mi-*

nistri eius, qui facitis voluntatem eius, id est, non solum angeli proprie dicti, sed omnis militia coelestis exercitus: qui omnes ministri Dei estis, et impletis diligenter et assidue quidquid ille vobis mandat.

22. *Benedicite Domino, omnia opera eius: in omni loco dominationis eius, benedic, anima mea, Domino.* Denique invitat omnes alias res creatas, ut et ipse suo modo opificem suum laudent. *In omni loco dominationis eius, id est, benedicite Domino, omnia opera eius, omnia omnino ubicunque sitis, nam omnia ipse fecit et omnibus dominatur.* Tu vero praecipue, *anima mea, quae omnia ad laudem invitasti, benedic Domino in omni tempore, semper laus eius in ore tuo sit.*

PSALMUS CIII.

Synopsis

Laudat Deum pro mundi creatione et gubernatione. Titulus etsi idem, qui in psalmo praecedente, post quem recto ordine videtur positus psalmus iste: in illo enim aguntur gratiae Deo pro beneficiis, gratiae in isto pro beneficiis naturae: ibi laudatur Dei misericordia, hic praedicatur Dei sapientia.

1. *Benedic, anima mea, Domino; Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.* Anima prophetae ad laudem Dei excitata mox exurgit in admirationem et laudem, dicens: *Domine Deus meus, etc., id est, ex operibus tuis magnus valde factus es in oculis omnium.*

2. *Confessionem et decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento.* Declarat, quomodo Deus ma-

gnificatus sit. *Confessionem et decorem induisti, etc.*, id est: *Confessionem* laudis, quam assidue decantant opera tua, tibi quasi vēstimentum undique circumdedisti, et quoniam nihil pulcrius est luce, sive gloria, ideo *induisti decorem* et pulcritudinem, dum *amictus es lumine gloriae*, quod ex operibus tuis emicat.

3. *Extendens coelum sicut pellem: qui tegis aquis superiora eius.* Incipit demonstrare lumen potentiae et sapientiae Dei, quod cernitur in creatione coeli: et duo quaedam valde admiranda in eo considerat. Unum est, quod tanta Deus facilitate *extenderit* immensam molem firmamenti, et eo circumdederit omnia corpora inferiora, quanta solent homines extendere tentorium ex *pellibus* confectum. Alterum est, quod Deus miro artificio posuerit *aquas supra coelum*.

4. *Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulat super pennas ventorum.* De coelo aethereo descendit propheta ad coelum aëreum, et canit admirabilem Dei sapientiam velocitate *nubium*, quae vi *ventorum* stupenda velocitate transeunt ab una parte mundi ad aliam; describit haec autem more poëtico, ac si Deus *insideat nubibus* quasi in curru, et utatur *ventis*, quasi equis *pennigeris*. Sed hac metaphora nihil significatur aliud, nisi Deum esse principalem auctorem omnium rerum, et eius nutu *ventos* moveri, et nubes adduci, vel abduci.

5. *Qui facis angelos tuos spiritus: et ministros tuos ignem urentem.* Q. d. Non solos ventos ac nubes velocissime discurrere per aërem, ut Deo iubenti serviant, sed habere Deum ministros longe sublimiores et potentiores, etc. *Qui facis angelos tuos spiritus, seu ventos*, id est, tam mobiles, celeres, agiles ad Dei iussa exequenda, ac si venti essent. Et

quasi *ignem urentem*, id est, tam subtiles, fervidos, puros, lucentes, ignitos, omnia penetrantes ac perrumpentes, ac si essent flamma ignis. Ita s. Dionysius, s. Hieronymus, Theodoretus, Euthymius, s. Thomas (in c. 1 Hebr.), Tirinus, Bellarminus. Ex quo notandum est, quod propheta angelos comparet *ventis et igni*, non quod non sint velociores *ventis*, et potentiores *igni*; sed quia nos nihil novimus inter corporea, quibus *angelorum* velocitas et efficacia aptius conferri possit.

6. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in saeculum saeculi.* Ab aëre descendit ad *terram*, et primo considerat admirabilem Dei potentiam, quae *terram* sine fundamento posuit in medio mundi. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam*, id est, non erexisti *terram* super aliquod fundamentum, sed voluisti, ut suo pondere niteretur. *Non inclinabitur in saeculum saeculi*, id est, et quia sic iussisti, sic fiet, ut videlicet terra suo pondere innixa aeterna *stabilitate* sistat.

7. *Abyssus sicut vestimentum amictus eius: super montes stabunt aquae.* 8. *Ab increpatione tua fugient; a voce tonitruui tui formidabunt.* 9. *Ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis.* 10. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.* Iam considerat propheta, qualis fuerit terra initio creationis suae. *Abyssus*, inquit, *sicut vestimentum amictus eius*, id est, initio creationis terra erat cincta, et velut amicta profunditate aquarum, quasi *vestimento* quodam undique cooperta. Gen. 1. Et tunc *super montes stabunt*, pro *stabant*: uti etiam in sequentibus habetur futurum, vel praesens pro praeterito, more prophetarum: *aquae*. Verum *in increpatione tua*, etc., id est, quae undique *terram* ope-

riebant, solo Dei nutu condensatae descenderunt ad loca decliviora: fuit enim nutus divinus aquis instar terribilis imprecationis, et quasi tonitruum rebus sentientibus. *Ascendunt montes*, etc., id est, tunc coeperunt apparere *montes* in loco sublimi, quasi *ascendissent*; et simul coeperunt apparere *campi* in loco humili, quasi *descendissent*; omnia vero constiterunt *in loco quem constituisti eis*. *Terminum posuisti*, etc., id est, aquis recedentibus, et in cavernis terrae conclusis *terminum posuisti*, quem non transgredientur, neque convertentur ex se, et vi sua *cooperire terram*. Tempore autem diluvii id factum est Dei iussu et virtute.

11. *Qui emittis fontes in convallibus: inter medium montium pertransibunt aquae*. 12. *Potabunt omnes bestiae agri: exspectabunt onagri in siti sua*. 13. *Super ea volucres coeli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces*. Tertio considerat mirabilem Dei sapientiam in productione fontium, et hic videtur sensus esse: *Qui emittis fontes*, etc., id est, qui facis ut aquae *fontium* ad *convalles* defluant, et inter *medios montes* rivuli earum *pertranseant*. *Potabunt omnes bestiae agri*, et praesertim *onagri*, asini videlicet sylvestres, qui *in montibus* degunt, et natura siticulosi sunt, anhelabunt ad eiusmodi *aquas*. Nec solum animalia quadrupedia de *fontibus* bibent, sed etiam *volucres coeli* iuxta *aquas* in locis editioribus *nidos suos* ponent, ut iisdem *aquis* frui possint, et ex cavernulis suis *voces dabunt*, canentes quomodo possunt, laudes Domino. Illud *super ea* refertur ad *fontes* et *aquas inter montes* discurrerentes.

14. *Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra*. 15. *Producens foenum iumentis, et herbam servituti hominum*: 16.

Ut educas panem de terra: et vinum laetificet cor hominis; 17. Ut exhilaret faciem in oleo: et panis cor hominis confirmet. Quarto considerat et canit propheta admirabilem Dei providentiam quoad pluvias terram irrigantes. *Rigans montes de superioribus suis*, id est, Deus *rigans* est, sive irrigat de nubibus *montes*, ad quos flumina non pertingunt: *de fructu operum*, etc. id est, de aquis quas tu ex nubibus tuis exprimis, terra arida et sitibunda *satiabitur*. *Producens foenum*, etc., id est, per hanc providentiam tu Deus producens es, sive producis ex terra *foenum* in pabulum *iumentorum*, et *herbam*, unde fruges, vites et arbores existunt, ad usum et in cibum *hominum*. *Ut educas panem de terra*, id est, ut hac ratione producas ex terra cibum: *panis* hic, uti saepius alias in Scriptura accipitur pro cibo generatim sumpto. *Et vinum laetificet cor hominis*, id est, *vinum* a te productum. Ut homo *exhilarret faciem suam in oleo* a te producto, *et panis cor hominis confirmet*, id est, *panis* sustentet et roboret vitam humanam. Ex quo apparet incredibilis multorum hominum ingratitude, qui cum tanta bona a Deo recipiant, raro ad eum oculos mentis erigant.

18. *Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantavit: illic passeret nidificabunt.* 19. *Herodii domus dux est eorum; montes excelsi cervis: petra refugium herinacis.* Quinto considerat propheta divinam providentiam in eo, quod Deus sine opera hominum tot arbores producit et nutrit, etc. *Saturabuntur ligna campi*, id est, ex pluviis humorem sibi debitum sument arbores sylvestres, et praecipue *cedri Libani*, quas Deus ipse *plantavit*, id est, sponte nasci voluit absque hominum industria. *Illic passeret nidificabunt*, id est, in his agrestibus

arboribus nidos suos ponent aves ; nam omnes aviculae apud hebraeos nomine *passerum* intelliguntur. *Herodii domus dux est eorum*, id est, milvi, aut fulicae, aut ardeae, aut ciconiae nidus praeeminet. nidulis aliarum volucrum. Vox graeca *Herodius* significat *milvum* apud Hieronymum, *fulicam* apud Augustinum, *ardeam* apud Plinium, *ciconiam* apud Suidam. *Montes excelsi cervis*, etc., id est, sicut magnae arbores praebent *refugium* vulucris, sic *montes cervis*, et lapideae cavernae *herinaciis*. S. Hieronymus scribit, voce hebraica significari animal quoddam simile muri et urso, non maius ericio, quod in Palaestina frequens est, et in cavernis petrarum habitat.

20. *Fecit lunam in tempora: sol cognovit occasum suum.* 21. *Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiae sylvae.* 22. *Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et quaerant a Deo escam sibi.* 23. *Ortus est sol, et congregati sunt: et in cubilibus suis collocabuntur.* 24. *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vespereum.* Sexto considerat et laudat divinam providentiam, quae divisit *tempora* operibus hominum et ferarum. *Fecit lunam in tempora*, id est, ad discrimina *temporum*, quae sua gyratione et vario aspectu causat in terris, v. g. menses, etc., item tempus serendi, plantandi, etc. *Sol cognovit occasum suum*, id est, *sol* novit suo tempore *occumbere*, ut det locum *nocti*. *Posuisti tenebras*, etc., id est, ex hac vicissitudine *solis* et *lunae*, tu, Domine, fecisti ut suo *tempore* *existerent tenebrae*, et sic *fieret nox*, et ipsam dedisti *sylvestribus* animantibus, ut per *sylvas* discurrerent, et potissimum *Catuli leonum rugientes* prae fame in rapinam incumbant, et hoc modo *quaerant a Deo escam sibi*, id est, *quaerant*

sibi cibum eo modo, quem divina providentia statuit. *Ortus est sol*, etc., id est, *oriente rursus sole*, ferae sylvestres, per noctem dispersae, congregantur in sua lustra, quia lucem et homines fugiunt. Interim *homo exit ad opus suum*, et ad laborem suum, etc.

25. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.* Haec est exclamatio ex admiratione operum Dei circa terram. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine!* id est, quam sunt eximia, praestantia, et laude ac praedicatione digna! *Omnia in sapientia fecisti*, id est, omnia opera Dei facta sunt cum maxima ratione et iudicio. *Impleta est terra possessione tua*, id est, et haec opera non pauca sunt, sed fere innumerabilia, ita ut terram universam repleverint: vocat autem propheta res creatas, quibus terra plena est *possessionem Dei*, quoniam Deus est dominus omnium rerum.

26. *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.* 27. *Animalia pusilla cum magnis: illic naves pertransibunt.* 28. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.* Iam decantat quoque sapientiam Dei ex amplitudine maris, ex multitudine et varietate piscium, etc., ait igitur: Spectandum praeterea se offert in operibus Dei *hoc mare, quod est magnum et spatiosum manibus*, id est, sinibus; nam sinus passim vocantur brachia, vel manus maris. *Illic reptilia*, etc., id est, in mari vivit infinita multitudo piscium. Praeterea est horum prope infinita varietas, quod significatur in verbis sequentibus: *Animalia pusilla*, etc. Addit tertio: *illic naves pertransibunt*; est enim admirandum opus Dei, quod per elementum liquidum

deferantur *naves* gravissimis rebus onustae. Adiungitur quarto: *Draco iste*, etc. q. d. Non solum *naves* quantumvis magnae; sed etiam *draco* piscis maximus, hebraice *Leviathan*, id est, balena seu cetus, pertransibit per aquas maris, et in illis *ludet*, huc atque illuc se circumvolvens. Addit denique ista omnia animalia a Deo nutrirī, *omnia a te exspectant*, etc.

29. *Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* 30. *Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur*, q. d. Si Deus manus aperit, et cibos distribuit, omnia animalia vivunt; si autem Deus faciem avertit, et alimenta dare renuit, omnia intereunt. illud *implebuntur bonitate*, significat replebuntur bono, sive bonis. *Auferes spiritum eorum*, id est, spiritum vitalem, quem dedisti eis, et illa in pulverem suum revertentur, id est, redibunt in pulverem aridum et inanimem, ut autea erant.

31. *Emitte spiritum tuum et creabuntur: et renovabis faciem terrae.* Ostendit potentiam Domini inde etiam valde laudandam esse, quod iis rebus, quibus spiritum vitae abstulerat, eundem illis restituat. Loquitur autem de restitutione in specie, q. d. Deinde vivificum spiritum tuum infundis, et nova de mortuis succedunt, atque a te producuntur, terraeque faciem sic renovas, cum terra iterum repletur animalibus omnium generum, per novam scilicet generationem; nam vox illa *creabuntur*, non est accipienda proprie pro educatione ex nihilo, sed pro productione in genere. Hic versus bene etiam exponitur mystice de inspiratione Spiritus s., ut qui mortui fuerant peccato, vivere incipiant Deo per gratiam. Et sic frequenter usurpatur ab Ecclesia.

32. *Sit gloria Domini in saeculum: laetabitur Dominus in operibus suis.* Explicatis admirandis Dei operibus, concludit psalmum oratione, ac primo petit, ut sanctificetur nomen Domini: *sit gloria*, etc., et inde fiet, ut Deus semper *laetetur in operibus suis*, et non habeat occasionem dolendi et poenitendi, quod fecerit ea, more humano loquendo.

33. *Qui respicit terram, et facit eam tremere: qui tangit montes, et fumigant.* Quia dixerat res creatas esse opera Domini, id breviter probat ex eo, quod tanta est potentia Dei in res creatas, ut solo aspectu minaci *terram* concutiat, et solo contactu *montes* ardere faciat. Alludit David ad c. xix Exodi.

34. *Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum.* 35. *Iucundum sit ei eloquium meum; ego vero delectabor in Domino.* Haec est altera petitio, ut placeat Deo laus eius; ait igitur: Hymnus, quem in eius laudem assidue decanto, gratus sit maiestati eius, et *ego quoque delectabor* in amore Dei, et deliciae meae erunt meditatio assidua bonitatis eius.

36. *Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint: benedic, anima mea, Domino.* Haec est ultima petitio, ut *peccatores*, qui Deum laudare nolunt, *deficiant de terra*, ita ut vel conversi ad Dominum *non sint* amplius *peccatores*; vel si converti noluerint, *deiciantur infra terram*, et ultra non compareant.

PSALMUS CIV.

Synopsis

Narrantur beneficia praestita populo Dei, ob quae omni laude dignus est: hinc psalmo huic rectissime convenit iste titulus: Alleluia, id est, Laudate Dominum, vel, ut ait Iustinus M., Laudate cum iubilo Deum.

1. *Confitemini Domino, et invocare nomen eius: annuntiate inter gentes opera eius.* Invitat propheta populum Dei ad laudandum et invocandum Deum, et ad annuntianda caeteris gentibus mirabilia opera eius, ut per hoc multiplicetur laus et invocatio Dei.

2. *Cantate ei, et psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.* Explicat, quod dixit: q. d. Confitemini laudes Dei, cantando vocibus et psallendo instrumentis musicis, sive laudando verbo et opere: et narrate gentibus mirabilia opera Dei.

3. *Laudamini in nomine sancto eius: laetetur cor quaerentium Dominum.* Invitat etiam ad laetitiam et exultationem interiorum. *Laudamini*, etc., id est, gloriamini in corde vestro, quod Deus sanctus sit vester Deus. *Laudamini* idem est, quod *laetamini*, vel *gloriamini*, ita s. Hieronymus. *Laetetur cor quaerentium Dominum*, id est, cum laetitia et exultatione, non cum taedio et moerore quaerite Dominum.

4. *Quaerite Dominum, et confirmamini: quaerite faciem eius semper.* Idipsum urget, ut serio et assidue quaeratur Deus; illud enim *confirmamini* significat hic roboramini, id est, non defatigemini in quaerendo Domino. Quod sequitur, *quaerite faciem eius semper*, idem est, ac ascendite semper corde, amando et desiderando faciem Domini, donec ad eam videndam aliquando perveniatis.

5. *Mementote mirabilium eius, quae fecit; prodigia eius, et iudicia oris eius.* Docet iam propheta materiam laudis Dei, et quasi scalam ad ascendendum ad amorem et desiderium Dei, ad quae duo supra invitaverat. Haec autem materia sunt opera *mirabilia* Dei. *Mementote*, etc., id est, revocate ad memoriam *mirabilia* opera, quae a Deo *facta fuisse* cognovistis. *Prodigia eius*, etc., id est, *mementote mirabilium*; quae *mirabilia* sunt *prodigia et iudicia eius*. Per *prodigia* intelliguntur miracula quae Deus fecit per Moysen, Iosue, etc.; per *iudicia oris eius* intelliguntur sanctissimae leges quas Deus populo suo dedit.

6. *Semen Abraham servi eius: filii Jacob electi eius.* Declarat, quibus dixerit: *Mementote*, etc. q. d. Vobis loquor, Hebraei, qui estis *semen Abrahae et filii Jacob*; vos enim estis *servi eius, et electi eius*, quia vos elegit Deus in proprios et peculiare *servos*. Recte autem monet s. Augustinus haec non pertinere solum ad *filios carnis Abrahae et Jacob*; sed potissimum pertinere ad *filios fidei Abrahae et Jacob*.

7. *Ipse Dominus Deus noster: in universa terra iudicia eius.* 8. *Memor fuit in saeculum testamenti sui: verbi quod mandavit in mille generationes.* Incipit narrare *mirabilia opera Dei*. *Ipse Dominus*, etc., id est, Deus, cuius *iudicia* sunt *in omni terra*, quique *omnem terram*, ut summus rex iudicat, *ipse*, inquit, Deus tam magnus, *memor fuit in saeculum testamenti sui*, id est, foederis sui, ut illud imple-ret, quod aeternum esse voluit. *Verbi sui*, id est, promissionis suae, quam *mandavit*, siye iussit et voluit stabilem esse *in mille generationes*, id est, in aeternum. Ita s. Augustinus, s. Gregorius et alii.

9. *Quod disposuit ad Abraham; et iuramenti sui*

ad Isaac. 10. Et statuit illud Iacob in praeceptum; et Israël in testamentum aeternum. 11. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan, funiculum haereditatis vestrae. 12. Cum essent numero brevi, paucissimi et incolae eius. Idipsum quod v. 8 dixerat, repetit et declarat ad confirmationem veritatis. *Quod disposuit, etc.*; id est, memor fuit pacti, *quod disposuit ad Abraham*, et quod iuramento confirmavit Isaac filio Abrahae: *et statuit illud pactum*, sive promissum iuratum ipsi Iacob *in praeceptum*, id est, in decretum et statutum, et *in testamentum aeternum*, id est, foedus *in aeternum duraturum*. Verba autem in pacto haec fuerunt: *Tibi dabo terram Chanaan*, quae fuit terra promissionis, *funiculum haereditatis vestrae*, id est, quam possidebunt filii vestri, tanquam haereditatem *funiculo* illis divisam. Facta est autem haec promissio Hebraeis, *cum essent numero brevi*, id est, paucissimi, et *cum essent incolae*, id est, peregrini et advenae in ipsa terra Chanaan.

13. Et pertransierunt de gente in gentem; et de regno ad populum alterum. 14. Non reliquit hominem nocere eis: et corripuit pro eis reges. 15. Nolite tangere christos meos; et in prophetis meis nolite malignari. Recensetur alterum beneficium Dei, quod scilicet patriarchas singulari providentia custodierit et protexerit. *Et pertransierunt patriarchae*, videlicet, Abraham, Isaac et Iacob cum familia sua. *de gente in gentem*, de una provincia in aliam: *et de regno uno ad populum* regni alterius. *Non reliquit*, id est, non permisit Deus *hominem* ullum *nocere eis*, imo etiam *corripuit pro eis reges*, Pharaonem, Abimelech, etc. Dixit enim Deus regibus istis: *Nolite tangere christos meos*, Abraham, Isaac et Iacob, *et in prophetis meis nolite malignari*, id est, et in hos ipsos, qui prophetae mei sunt, *nolite*

aliquid mali perpetrare. Tres patriarchas istos etiam prophetas fuisse, constat ex Genes. xv, xvii et xlix. Dicuntur autem *christi*, non quod uncti fuerint oleo visibili, sed quod interna unctione spiritus delibuti fuerint.

16. *Et vocavit famem super terram; et omne firmamentum panis contrivit.* 17. *Misit ante eos virum, in servum venundatus est Ioseph.* 18. *Humiliaverunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius donec veniret verbum eius.* 19. *Eloquium Domini inflammavit eum: misit rex, et solvit eum, princeps populorum, et dimisit eum.* 20. *Constituit eum dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae.* 21. *Ut erudiret principes eius sicut semetipsum; et senes eius prudentiam doceret.* 22. *Et intravit Israël in Aegyptum: et Iacob accola fuit in terra Cham.* Hoc est tertium beneficium Dei erga populum suum. Historia nota est ex lib. Gen. xxxvii et seqq. *Et vocavit famem super terram*, id est, Deus auctor fuit, ut gravissima famis opprimeret terram; loquitur autem propheta more poëtico: *Vocavit*, etc., id ipsum declarat: *et omne firmamentum panis contrivit*, id est, Deus *contrivit* stabilimentum victus humani, qui in pane consistit. *Misit ante eos virum*, id est, occasione illius famis venturae praemisit Deus in Aegyptum ante filios Israël, *virum* magnum, Iosephum videlicet, qui liberaret ab ea fame Israëlem. Deinde explicat, quomodo Ioseph *missus fuerit in Aegyptum*, subdens, *in servum venundatus est* a fratribus, et sic abductus est a mercatoribus *in Aegyptum*. *Humiliaverunt in compedibus*, etc., id est, *in Aegypto* autem innocens coniectus fuit in carcerem, ubi *ferrum compedum* tamdiu dolore afflixit animam Ioseph, *donec veniret verbum eius*, id est, donec impleretur

vaticinium eius, quo praedixit pincernae Pharaonis liberationem e carcere. *Eloquium Domini inflammavit eum*, id est, Deus illi tribuebat eloquium ignitum et efficax. *Misit rex*, etc., id est, *rex Pharaon*, princeps omnium populorum terrae Aegypti, audita sapientia Iosephi per pincernam suam, *misit*, qui eum compedibus solveret, et liberum dimisit. Et praeterea *constituit eum* praepositum domus suae, et totius regni sui: non solum ut corporibus alendis tempore famis operam daret, sed etiam ut *erudiret principes eius sicut semetipsum*, id est, ut *erudiret principes* regni, et *seniores consiliarios regis*, ea sapientia et prudentia, qua ipse pollebat; illud *sicut semetipsum* vertit s. Hieronymus *secundum voluntatem suam*, sive in voluntate sua. *Et intravit Israël in Aegyptum*, id est, et hac occasione patriarcha Iacob cum omni familia sua ingressus est *Aegyptum*, et *Iacob accola fuit in terra Cham*, et hoc modo populus Israël coepit habitare in *Aegypto*, quae dicta est *terra Cham*, quia Aegyptii a Mesraim filio Cham prognati sunt.

23. *Et auxit populum suum vehementer: et firmavit eum super inimicos eius.* 24. *Convertit cor eorum ut odirent populum eius; et dolum facerent in servos eius.* 25. *Misit Moysen servum suum; Aaron, quem elegit ipsum.* 26. *Posuit in eis verba signorum suorum et prodigiorum in terra Cham.* Sequitur quartum beneficium Dei erga *populum suum*, quem divina providentia crescere fecit, et multiplicari valde in Aegypto: et cum a rege Pharaone opprimeretur idem *populus Dei*, *misit Deus Moysen et Aaronem*, cum potestate magna in signis et prodigiis faciendis; ob quae tandem *populus Dei* gloriose discessit ex Aegypto. Illud *convertit cor eorum*, etc., significat Deum convertisse cor Aegyptiorum in odium

Hebraeorum, non per se, vel directe, ut vult Calvinus, sed tantum per accidens et occasionaliter, roborando et multiplicando Hebraeos tam prolibus, quam opibus. Ita s. Augustinus. Illud, *quem elegit ipsum*, in graeco habetur, *quem elegit sibi*. Et apud Latinos redundat *ipsum*, quod apud hebraeos eleganter additur. Illud *posuit in eis verba signorum suorum*, etc., significat, Deum Moysi et Aaroni dedisse potestatem patrandi miracula in terra Aegypti, ut tum filii Israël, tum Aegyptii crederent, eos a Deo missos esse.

27. *Misit tenebras et obscuravit; et non exacerbavit sermones suos*. Describit in particulari quaedam prodigia edita in Aegypto, quibus Deus Pharaonem et Aegyptios flagellavit. *Misit*, id est, immisit *tenebras* in Aegyptum et *obscuravit* eam regionem. Fuerunt autem illae *tenebrae* tam horribiles et crassae, ut nemo alterum agnosceret: et quod mirabilius est, nemo se moveret de loco. Quod sequitur, *et non exacerbavit*, etc., iuxta lectionem hebraicam et graecam significat: *non exacerbaverunt* Moyses et Aaron *sermones suos*, id est, eius, Dei videlicet, qui iussit eos mirabilia signa facere. Ita Bellarminus. Vel Deus non fecit irrita promissa sua facta Moysi de plagis aegyptiis infligendis. Ita Tirinus. Vel, Deus etiam non poenitentibus non clausit misericordiae sinum: sed semper benignis verbis ad emendationem per Moysen et Aaron excitavit. Ita Le Blanc.

28. *Convertit aquas eorum in sanguinem; et occidit pisces eorum*. 29. *Edidit terram eorum ranas in penetralibus regum ipsorum*. 30. *Dixit et venit caenomyia, et cinifes in omnibus finibus eorum*. 31. *Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum*. 32. *Et percussit vineas eorum et*

ficulneas eorum; et contrivit lignum finium eorum.
 33. *Dixit et venit locusta et bruchus, cuius non erat numerus.* 34. *Et comedit omne foenum in terra eorum: et comedit omnem fructum terrae eorum.*
 35. *Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.* Haec omnia explicata sunt in psalmo LXXVII, a v. 40, et deinceps: et nota sunt ex c. VII Exod. et seqq.

36. *Et eduxit eos cum argento et auro: et non erat in tribubus eorum infirmus.* Sunt rursus alia beneficia, quibus Deus affecit populum suum, quem non solum liberavit de captivitate, sed etiam ditavit magnis opibus, ut habetur Exod. XI et XII. Et cum aegyptii variis morbis affecti essent, apud filios Israël nulla plaga desaevit.

37. *Laetata est Aegyptus in profensione eorum: quia incubuit timor eorum super eos.* Id est: *Laetati sunt aegyptii* in discessu hebraeorum, ob timorem maioris mali, ne videlicet omnes perirent, sicut iam periisse viderant primogenita.

38. *Expandit nubem in protectionem eorum: et ignem ut luceret eis per noctem.* Aliud beneficium fuit columna nubis per diem, et columna ignis per noctem, quam Angelorum ministerio erexit Deus populo suo, cum exisset de terra Aegypti. Posset etiam dici, praeter illam nubis columnam, fuisse aliam nubem, quae expansa super hebraeos protegeret eos ab aestu in itinere.

39. *Petierunt et venit coturnix: et pane coeli saturavit eos.* Recolitur septimum beneficium, quo Deus pavit in deserto populum suum manna, quod pluebat de coelo, et carnibus coturnicum, quas Deus ministerio venti in desertum adduxit. Exod. XVI.

40. *Dirupit petram et fluxerunt aquae: abierunt in sicco flumina.* Octavum beneficium hic adiungi-

tur, quo Deus ex *petra* copiam *aquarum* induxit in solitudine, ex qua rivi instar fluminum decurrebant. Exod. xvii, Num. xx.

41. *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.* Ratio praecedentium et futurorum beneficiorum tribuitur promissioni factae ad patriarcham *Abraham*, singularem *puerum*, id est, servum Domini.

42. *Et eduxit populum suum in exultatione, et electos suos in laetitia.* Nonum est hoc beneficium, quo Deus, submerso Pharaone in mari rubro, *eduxit* de servitute populum suum, canentem *cum exultatione et laetitia magna: Cantemus Domino, etc.* Exod. xv.

43. *Et dedit illis regiones gentium: et labores populorum possederunt.* Hoc est beneficium ultimum, introductio videlicet, duce Iosue, hebraeorum in *regiones gentium* multarum, et in *labores* earum, id est, in urbes quas aedificaverant, et arva quae coluerant *gentes* illae.

44. *Ut custodiant iustificationes eius, et legem eius requirant.* Hoc est quasi tributum, quod Deus requirit a suis, pro tam multis bonis in eos collatis: nimirum ut obediant mandatis eius, quae obedientia ipsis obedientibus utilissima est, quia perducit ad bona multo maiora. Per *iustificationes* hic intelliguntur caeremoniae et iudicia, quae multa erant. Per *legem* intelliguntur lex moralis, quae reducitur ad unum praeceptum, quod est dilectio.

PSALMUS CV.

Synopsis

Celebrat Dei misericordiam erga ingratos, qui praeventi a Deo in benedictionibus dulcedinis, Deo frequenter rebelles et inobedientes fuerunt: et tamen per poenitentiam reconciliati in gratiam redierunt. Titulus psalmi: Alleluia.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus; quoniam in saeculum misericordia eius.* Loquitur propheta in persona fidelis populi poenitentis, et gratias Deo agentis. Invitat autem omnes ad laudes Dei: tum quia bonus est, et homines per beneficia praevenit, tum quia *misericordia eius* in recipiendis peccatoribus ad poenitentiam revertentibus semper invicta manet.

2. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Invitaverat omnes ad confessionem laudis: nunc dicit vix aliquem inveniri, qui sit idoneus ad praedicandas *potentias Domini*, id est, opera potentiae, seu potius omnipotentiae, et mox idem repetit aliis verbis: *Quis auditas faciet*, id est, quis loquendo *faciet*, ut audiantur *omnes laudes eius?* quae videlicet ex cognitione operum *potentiae eius* oriuntur.

3. *Beati, qui custodiunt iudicium; et faciunt iustitiam in omni tempore, q. d.* Soli illi *beati* sunt, ac per hoc loqui possunt *potentias Domini, etc.*, qui semper iuste vivunt, declinantes a malo, et facientes bonum: isti ergo soli bene loqui possunt laudes Domini, quia ipsi non solum lingua, sed etiam vita laudant Dominum.

4. *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui; visita nos in salutari tuo.* 5. *Ad videndum in*

bonitate electorum tuorum, ad laetandum in laetitia gentis tuae; ut lauderis cum haereditate tua. Dixit iustorum et consequenter beatorum esse officium laudandi Deum: iam optat et precatur sibi, et suis hanc felicissimam sortem per Messiam obtinendam. *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui:* id est, pro tua erga populum tuum consueta benevolentia, *visita nos in salutari tuo,* et Salvatorem promissum demitte, iustificans nos a peccatis per merita eius. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum,* id est, ut concessa electis tuis bona videamus; *ad laetandum in laetitia gentis tuae,* iisque bonis perfruentes laetemur ea *laetitia,* qua *laetari* solet gens, quae tibi cara est. *Ut lauderis cum haereditate tua,* id est, ut sic et a nobis glorificeris cum sanctis tuis quos in peculiarem haereditatem secrevist. Ita partim ex Bellarmino, partim ex Tirino, partim ex Le Blanc, etc.

6. *Peccavimus cum patribus nostris; iniuste egimus, iniquitatem fecimus.* 7. *Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua; non fuerunt memores multitudinis misericordiae tuae.* 8. *Et irritaverunt ascendentes in mare, mare rubrum.* 9. *Et salvavit eos propter nomen suum: ut notam faceret potentiam suam.* 10. *Et increpuit mare rubrum, et exsiccatum est: et eduxit eos in abyssis sicut in deserto.* 11. *Et salvavit eos de manu odientium: et redemit eos de manu inimici.* 12. *Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remansit.* 13. *Et crediderunt verbis eius: et laudaverunt laudem eius.* Hic incipit propheta in persona aliorum fidelium minus perfectorum, sed vere poenitentium confiteri peccata sua, et peccata patrum ab egressu de Aegypto, usque ad sua tempora: ut simul commemoret laudes *misericordiae Dei,* quae nunquam sinum

poenitentibus claudit. Sunt autem hi versus satis noti ex historia libri Exodi, et ex psalmo LXXVII. Illud *increpuit mare* metaphoricum est, et significatur, *mare recessisse ad nutum Dei*, quo modo recedit velociter, qui timet minas viri potentis. Illud, *laudaverunt laudem eius*, vertunt Hieronymus et Chaldaeus: Cecinerunt, nempe epinicion Deo, praecinente Moyse et Maria. Exod. xv.

14. *Cito fecerunt, obliti sunt operum eius: et non sustinuerunt consilium eius.* 15. *Et concupierunt concupiscentiam in deserto: et tentaverunt Deum in inaquoso.* 16. *Et dedit eis petitionem ipsorum: et misit saturitatem in animas eorum.* Pergit propheta in enarranda ingratitude populi, qui cum vidisset miraculum in mari rubro, et Deum tam eximie inde laudasset, mox occurrente penuria panis et aquae, *obliti sunt omnipotentiae et providentiae Dei.* *Cito fecerunt, obliti sunt operum eius*, est hebraismus, profestinarunt *oblivisci*, et non sustinuerunt consilium Dei, id est, non patienter expectaverunt finem divino consilio constitutum. *Et concupierunt, etc.*, id est, non potuerunt vel ad modicum tempus tolerare famem et sitim in deserto inaquoso, ubi deerant panis et aqua. Illud *concupierunt concupiscentiam*, est phrasis apud hebraeos frequens, nec omnino inusitata apud latinos, v. g. vivere vitam, servire servitutem. *Et dedit eis petitionem ipsorum*, etc. id est, satiavit appetitum ipsorum abundantia panum et carnum et aquarum copia, ut constat ex c. xvi et xvii. Exod. et ex c. xi et xx. Num.

17. *Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.* 18. *Aperta est terra et deglutivit Dathan; et operuit super congregationem Abiron.* 19. *Et exarsit ignis in synagoga eorum; flamma combussit peccatores.* Attingit historiam Dathan et

Abiron, quae habetur in c. xvi Num. *Et irritaverunt Moysen in castris*, id est, Core, Dathan et Abiron obiecerunt Moysi, quod imperium sibi arrogasset super filios Israël. Aaron sanctum Domini, id est, etiam Aaron fratrem Moysis irritaverunt, quem Deus sibi sanctificaverat ut sacerdotio fungeretur. *Aperta est terra et deglutivit Dathan cum sociis eius Core et Abiron*, et omni familia et substantia eorum. *Et operuit super congregationem Abiron*, id est, terra postea iterum clausa est, et cooperuit omnem congregationem Abiron et sociorum eius. Illud super est phrasis hebraica. *Et exarsit ignis in synagoga eorum, etc.*; nam ut narratur eodem c. xvi, cum deglutisset terra Core, Dathan et Abiron, divino iussu excitatus est ignis, qui combussit ducentos quinquaginta viros, qui praesumpserant incensum offerre Deo, et paulo post iterum exarsit ignis immissus a Deo, qui cremavit quatuordecim millia et septingentos viros.

20. *Et fecerunt vitulum in Horeb: et adoraverunt sculptile.* 21. *Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.* 22. *Obliti sunt Deum qui salvavit eos: qui fecit magna in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in maribus rubro.* 23. *Et dixit ut disperderet eos; si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* 24. *Ut averteret iram eius, ne disperderet eos et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* De testatur nunc propheta idololatriam populi: et simul laudat misericordiam Dei ad preces Moysis placati. *Et fecerunt vitulum, etc.*, notum est ex c. xxx Exod. *Et mutaverunt gloriam suam, etc.* Exaggerat propheta stultitiam hebraeorum, quod substituerint idolum in forma vituli Deo vero, commutaverint gloriam suam, id est, Deum verum, qui er-

gloria ipsorum, in imaginem animantis bruti. Obliti sunt Deum, etc., hoc etiam pertinet ad augendam hebraeorum stultitiam. *Et dixit ut disperderet eos, etc.*, id est, tunc Deus dixit, voluntatem suam esse, disperdere populum hebraeorum, quod et fecisset, nisi *Moses electus famulus eius*, intercessione sua obstitisset, *ut averteret iram eius, ne disperderet eos*. Illud *in confractione* significat *in fractura et disruptione*, ut sensus sit: Nisi *Moses stetisset* in fractura et disruptione, id est, nisi opposuisset se ruinae imminenti: vel, nisi disrupto iam muro *stetisset* in medio, ut impediret irruptionem irae Dei. Hic notandum est, inquit s. Augustinus, quantum valeat sanctorum pro aliis intercessio. In ultima parte vers. 24, uti et in tribus sequentibus versibus, commemorat propheta peccatum illud hebraeorum, quo spreverunt terram promissionis. *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, id est, terram promissionis, quam uti felicissimam desiderare debuissent, ipsi contempserunt.

25. *Non crediderunt verbo eius, et murmuraverunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini*, id est, *non crediderunt verbis Dei*, qui toties dixerat terram esse optimam: et *murmuraverunt* adversus Deum, qui de Aegypto illos eduxerat, ut in terram promissionis induceret, et non obedierunt praeceptis eius.

26. *Et elevavit manum suam super eos; ut prosterneret eos in deserto.* 27. *Et ut deiiceret semen eorum in nationibus; et dispergeret eos in regionibus*, id est, *levavit manum suam gladio iustitiae armatam super peccatorem populum suum*, ut eos, qui tunc murmuraverant, occideret *in deserto*; filios eorum deiectos et abiectos *dispergeret* inter gentes.

28. *Et initiati sunt Beelphegor: et comederunt sacrificia mortuorum.* 29. *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis; et multiplicata est in eis ruina.* 30. *Et stetit Phinees, et placavit: et cessavit quassatio.* 31. *Et reputatum est ei in iustitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum.* Attingit David aliud peccatum populi, cuius historia habetur Num. 25. *Et initiati*, sive consecrati sunt, id est, susceperunt sacra Beelphegor, id est, Priapi idoli Moab et Madian. *Et comederunt sacrificia mortuorum*, id est idolorum, quae sunt res mortuae. *Et irritaverunt eum, etc., irritaverunt* Deum in cultu novorum deorum, quem ipsi excogitaverunt. *Et multiplicata est in eis ruina*, id est, propter hoc peccatum *multiplex* facta est *ruina* in hoc populo, plurimis videlicet misere interemptis. *Et stetit Phinees, etc.*, id est *Phinees* zelo divini honoris accensus stetit intrepidus adversus impios desertores antiquae religionis, et *placavit* zelo suo Deum, et sic *cessavit* inchoata strages in populo. *Et reputatum est ei in iustitiam, etc.* Hoc dicit propheta, quia propter meritum illius facti, quo *Phinees*, filius Eleazari, nepos Aaronis, zelo Dei ductus, occidit unum de filiis Israël una cum muliere madianitide, stabilivit Deus dignitatem summi sacerdotii ipsi *Phinees*, et posteris eius in aeternum, id est, toto tempore quo duraret respublica iudaica.

32. *Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis; et vexatus est Moyses propter eos; quia exacerbaverunt spiritum eius.* Transit propheta ad aliud peccatum, quod habetur Num. c. xx. *Et irritaverunt eum*, id est, hebraei Deum, *ad aquas contradictionis*, id est, in eo loco, ubi propter aquae penuriam contradixerunt *Moysi*, et iurgati sunt ad-

versus eum; *et vexatus est Moyses propter eos*, id est afflicto est propter iurgia populi, quia iurgando et murmurando adversus *Moysen*, ad amaritudinem et tristitiam adduxerunt *spiritum eius*.

33. *Et distinxit in labiis suis: non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis.* 34. *Et commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum; et servierunt sculptilibus eorum: et factum est illis in scandalum.* Hic inchoatur alia historia, quae habetur in libro Iudicum, ubi legimus hebraeos non disperdidisse omnes gentes idololatrias ex terra promissionis, quemadmodum Dominus iusserat, sed habitasse cum illis, et didicisse superstitiones eorum. Ait igitur David: *et distinxit in labiis suis*, id est, Deus distincte et aperte pronuntiavit et reprehendit hebraeos, quod non exterminaverint *gentes, quas dixit Dominus illis*, id est, quas idem ipse Dominus iusserat exterminari. *Et commixti sunt*, etc., id notum est ex toto libro Iudicum. *Et factum est illis in scandalum*, id est, in ruinam: ea enim causa fuit, ut traderentur a Deo in potestatem diversorum regum idololatrarum.

35. *Et immolaverunt filios suos et filias suas daemoniis.* 36. *Et effuderunt sanguinem innocentem; sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* 37. *Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum: et fornicati sunt in adinventi-
nibus suis.* Tanta erat caecitas hominum, ut non agnoscerent tyrannidem daemoniorum, et quantum interesset inter iugum suave conditoris, et compedes ferreas et durissimas destructoris. Illud *infecta est terra in sanguinibus*, etc., significat, terram ob multitudinem interfectorum et copiam sanguinis effusi desolatam fuisse. Illud *fornicati sunt*, etc., si-

gnificat spiritualem fornicationem, quam committebat synagoga iudaeorum, quae Deo desponsata fuerat, cum post deos alienos tanquam viros adulteros abiit.

38. *Et iratus est furore Dominus in populum suum: et abominatus est haereditatem suam.* 39. *Et tradidit eos in manus gentium: et dominati sunt eorum qui oderunt eos.* 40. *Et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum: saepe liberavit eos.* 41. *Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo: et humiliati sunt in iniquitatibus suis.* 42. *Et vidit cum tribularentur; et audivit orationem eorum.* 43. *Et memor fuit testamenti sui; et poenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae.* 44. *Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.* Hic decantat propheta historiam libri ludicum, in qua narratur, hebraeos ob peccata sua, quibus Deum ad iracundiam provocabant, traditos fuisse a Deo frequenter in potestatem hostium, moabitarum, ammonitarum, philisthinorum, etc., sed cum ad poenitentiam redirent, solitum quoque fuisse Deum excitare virum aliquem strenuum, per quem liberarentur, ut Iephthe, Gedeonem, Samsone, etc. Illud *in consilio suo*, significat in consilio ipsorum hebraeorum, qui saepe *consilium* inibant recedendi a Deo. Ultimum versum s. Augustinus sic exponit: *Et dedit eos in misericordias*, id est, fecit cum eis Deus *misericordiam*, sive posuit eos in *misericordiae suae sinum*, in *conspectu omnium qui ceperant eos*, id est, videntibus et mirantibus iis, qui eos ceperant.

45. *Salvos fac nos, Domine, Deus noster; et congrega nos de nationibus.* 46. *Ut confiteamur nomini sancto tuo: et gloriemur in laude tua.* 47. *Benedictus Dominus Deus Israël a saeculo, et usque in*

saeculum: et dicet omnis populus: fiat, fiat. In hac psalmi conclusione precatur David, ut Deus omnem populum fidelem *congreget de nationibus*, id est, reducat omnes dispersos ad coetum piorum, ut omnes simul gratias agant Deo, eumque laudent, *et glorificentur in laude ipsius.* Concludit postremo Deum laudans, et dicens: *Benedictus Dominus Deus Israel in aeternum, et omnis populus confirmet benedictionem, dicens: fiat, fiat, sive: Amen, Amen.*

PSALMUS CVI.

Synopsis

Recte psalmi huius titulus est: Alleluia, id est, Laudate Dominum: quoniam hic laudatur primo misericordia Dei, quae homines a miseriis liberat. Deinde in altera parte psalmi laudatur omnipotentia Dei, quae solo nutu mutat rerum naturas.

1. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.* 2. *Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici: et de regionibus congregavit eos.* 3. *A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.* Haec est praefatio totius psalmi, in qua hortatur David, ut omnes, qui experti sunt *miseri cordias Domini, laudes eius confiteantur.* Et quamvis invitet generatim omnes homines, quos liberavit Dominus de quacumque tribulatione: nam *redemptio* in Scripturis passim sumitur pro liberatione: maxime tamen invitat fideles, quos sanguine Unigeniti sui redemit *de manu inimici: quosque congregavit in unum populum ab ortu solis et occasu, ab aquilone et mari magno, quod oceanus vocatur, et pars australis dici solet, id est, quos congregavit*

a quatuor mundi partibus, sive ex toto orbe terrarum.

4. *Erraverunt in solitudine in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt.* 5. *Esurientes et sitientes: anima eorum in ipsis deficit.* 6. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: et de necessitatibus eorum eripuit eos.* 7. *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.* 8. *Confiteantur Domino misericordiae eius: et mirabilia eius filiis hominum.* 9. *Quia satiavit animam inanem; et animam esurientem satiavit bonis.* Quatuor sunt miseriae communes corporales et totidem spirituales. Corporales sunt: fames et sitis, captivitas, morbus, periculum naufragii. Miseriae quatuor spirituales eae sunt, quae a theologis dicuntur vulnera naturae, relictæ in nobis ex peccato originali: ignorantia in mente, concupiscentia in appetitu concupiscibili, infirmitas in appetitu irascibili et malitia in voluntate: quorum vulnerum contraria sunt virtutes cardinales, prudentia in mente, temperantia in appetitu concupiscibili, fortitudo in irascibili, iustitia in voluntate. Videatur s. Thom. 1, 2, q. 58, a. 3. Igitur in hac prima psalmi parte cantatur *miseri cordia Dei* liberans a prima miseria tum corporali, tum spirituali. *Erraverunt in solitudine*, etc., multi homines, ut olim hebraei vagantes non inveniebant viam, quae duceret ad civitatem, ubi tuto habitare possent: et *erraverunt esurientes et sitientes*, et ideo *anima*, id est, *vita eorum* prae fame et siti *deficiebat in ipsis*, et deficiente humano auxilio *clamaverunt ad Dominum*, qui non defuit invocatus, sed pro innata sibi *miseri cordia* liberavit eos, et ostendit eis *viam rectam*, per quam pervenirent ad civitatem suae habitationis. *Confiteantur Domino misericordiae eius*, etc. Illud

confiteantur, ut ait Iansenius, sumitur passive, et sensus est: Iustum est igitur, ut tanta beneficia et *mirabilia* opera Dei exhibita filiis hominum, praedicentur, laudentur, *Domino*, seu in honorem Domini Dei auctoris. *Quia satiavit animam inanem*, id est, quia mirabili modo alimoniam paravit in *solitudine*, et inde replevit homines ieiunos, et *esurientes* pavit optimis cibis, pane de coelo. Haec omnia quidem de cibo corporali iudaeis praestito satis commode exponi possunt, intelliguntur tamen etiam de omnibus qui de errore viae, et a miseria famis et sitis liberantur a Deo. Caeterum non est dubium, quin propheta respexerit praecipue ad ignorantiam salutis, qua multi laborantes, quasi extra viam in deserto vagantes, cognitionem veritatis *esurientes et sitientes*. liberantur a Deo, etc. Ita Bellarminus.

10. *Sedentes in tenebris, et umbra mortis; vinctos in mendicitate, et ferro.* 11. *Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt.* 12. *Et humiliatum est in laboribus cor eorum; infirmati sunt, nec fuit qui adiuvaret.* 13. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur; et de necessitatibus eorum liberavit eos.* 14. *Et eduxit eos de tenebris, et umbra mortis; et vincula eorum dirupit.* 15. *Confiteantur Domino misericordiae eius; et mirabilia eius filiis hominum.* 16. *Quia contrivit portas aereas; et vectes ferreos confregit.* Haec est altera pars, in qua proponitur liberatio a secunda miseria, tam corporali, quam spirituali. *Sedentes in tenebris*, etc., q. d. Novi alios, qui capti ab hostibus et tetris carceribus inclusi, *sedebant in tenebris*, et *tenebris* valde densis, quales significantur in Scripturis per *umbram mortis*; qui simul erant alligati vinculis, redacti ad mendicitatem, et onerati ferreis catenis et compedibus. *Quia exacer-*

baverunt eloquia Dei, etc., id est, merito traditi fuerant in captivitatem, quoniam non obtemperaverunt praeceptis Dei, et *consilium* eius contempserunt. *Exacerbare eloquia Dei*, significat, ad iram provocare Deum loquentem: et *irritare consilium Altissimi*, significat, ad iram provocare Deum bene consulentem. *Et humiliatum est in laboribus eorum*, id est, superbia cordis eorum humiliata est ob labores captivitatis: *infirmati sunt*, id est debiles facti sunt, ut non possent resistere adversariis, *neque fuit, qui eos adiuveret*. *Et clamaverunt ad Dominum*, etc., hic iam ponitur imploratio divini auxilii et *liberatio*, ac ut ostēdat magnitudinem beneficii, addit: *contrivit portas aereas*, etc., qua metaphora significatur *liberatio* a captivitate durissima et maxima. Porro secunda spiritualis miseria est rerum terrenarum concupiscentia, quae instar catenae hominem ita constringit, ut quasi captivus progredi non possit; talem ergo vinctum solvit *miseri-cordia Dei*, etc.

17. *Suscepit eos de via iniquitatis eorum, propter iniustitias enim suas humiliati sunt.* 18. *Om-nem escam abominata est anima eorum; et appropin-
averunt usque ad portas mortis.* 19. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur; et de necessitati-
bus eorum liberavit eos.* 20. *Misit verbum suum, et sanavit eos; et eripuit eos de interitionibus eorum.* 21. *Confiteantur Domino misericordiae eius; et mi-
rabilia eius filiis hominum:* 22. *Et sacrificent sa-
crificium laudis; et annuntient opera eius in exul-
tatione.* Haec est pars tertia psalmi, in qua narra-
tur tertia miseria corporalis, quae est morbus et
languor gravissimus, qualis fuit filiorum Israël, cum
percussit eos Dominus plaga magna per serpentes
ignitos; sed *cum clamarent ad Dominum liberati*

sunt. Suscepit eos de via iniquitatis eorum, etc. Hic aliquid necessario subintelligendum est, v. g. Vidit Deus quosdam prostratos iacere et *suscepit eos*, id est, erexit *de via iniquitatis eorum*, in qua misere iacebant, nam *propter iniustitias suas humiliati sunt. Omnem escam abominata est anima eorum*, etc. Hoc demonstrat gravissimum morbum, qui cum cibum non admittat, quo vita sustentatur, mors imminet necesse est. *Misit verbum suum*, etc., explicat modum, quo *sanavit aegrotos illos*, dicens eos *sanatos verbo*, id est, iussu Domini, sive Dei voluntate. Videtur etiam hic praedicare voluisse missionem *Verbi incarnati*, per quod plurimi *sanati sunt*, et a corporali et a spirituali morbo. Tertia vero miseria spiritualis est infirmitas, sive debilitas et fragilitas humanae naturae per peccatum corruptae; multi sunt, qui taedio et languore affecti, omnem cibum renuunt, nec ad coelestia suspirare norunt, etc. Et isti ad Deum *clamare debent*, ut ab hac magna miseria liberati sanentur, etc.

23. *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.* 24. *Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia eius in profundo.* 25. *Dixit et stetit spiritus procellae: et exaltati sunt fluctus eius.* 26. *Ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.* 27. *Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius: et omnis sapientia eorum devorata est.* 28. *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur; et de necessitatibus eorum eduxit eos.* 29. *Et statuit procellam eius in auram; et siluerunt fluctus eius.* 30. *Et laetati sunt quia siluerunt; et deduxit eos in portum voluntatis eorum.* 31. *Confiteantur Domino misericordiae eius; et mirabilia eius filiis hominum.* 32. *Et exallent eum in ecclesia plebis; et in cathe-*

dra seniorum laudent eum. Haec est pars quarta psalmi, in qua laudatur Deus ob liberationem periclitantium in mari. *Qui descendunt mare in navibus*, etc., id est, qui navigant *mare*, ac per hoc operantur in *aquis* remigando, vela tendendo, contrahendo, etc., experimento cognoverunt multa *mirabilia* opera Dei. *Dixit, et stetit spiritus procellae*, id est, iussit Deus, ut ventus *procellae* existeret, et continuo extitit; inde *exaltati sunt fluctus eius*, maris scilicet. *Et ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos*, est poëtica hyperbole; *anima eorum in malis tabescebat*, id est, iis visis, anima navigantium, spiritus vitalis, vigor omnis prae timore et horrore tabescebat. *Turbati sunt*, etc., similitudine describit, quid animi gerant homines imminente naufragio; nam neque vires, neque consilium suppetit, imo omnis *sapientia*, id est, ars et peritia navigandi a timore nimio quasi absorpta videtur. *Et clamaverunt*, etc. Hic est versus intercalaris, de quo supra; reliqua facilia sunt. Illud *et statuit procellam eius in auram*, significat Deum convertisse ventum furiosum in ventum placidum, sive tempestatem in tranquillitatem. Illud *in cathedra seniorum* significat, in consessu senatorum et magistratuum, q. d., publice et palam. Iam vero quarta miseria spiritualis est malitia voluntatis, quae praecipue sita est in superbia. Et vere cum spiritus superbiae exagitare incipit *mare* cordis humani, tunc innumeris cogitationum, suspicionum, timorum, desideriorum, praesumptionis quoque et desperationis *procellis* continuo agitur, et nisi *clamet ad Dominum*, et ipse de tantis periculis liberet, tandem demergitur in abyssum, etc.

33. *Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim*; 34. *Terram fructiferam in salsuginem*

nem, a malitia inhabitantium in ea. Haec est altera pars huius psalmi, in qua post decantatas *misericordias* Domini in depulsione quatuor istarum miseriarum, laudat Deum ab omnipotentia et providentia, qua naturas rerum aliquando permutat. Ac primo dicit, Deum aliquando *posuisse flumina in desertum*, id est, loca humida et fertilia fecisse arida et sterilia, et *exitus aquarum in sitim*, id est, et fontes exsiccasse: *terram quoque fructiferam vertisse in salsuginem*, id est, in *terram* sterilem, qualis est *terra* operta sale, *a malitia inhabitantium in ea*, id est, in poenam peccati eorum, qui *terram* illam incolebant; exemplum huius mutationis habemus in Genesi c. xiii.

35. *Posuit desertum in stagna aquarum; et terram sine aqua in exitus aquarum.* 36. *Et collocavit illic esurientes; et constituerunt civitatem habitationis.* 37. *Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas: et fecerunt fructum nativitatis.* 38. *Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis; et iumenta eorum non minoravit.* Haec est altera mutatio in contrarium, secundum quam Deus quando voluit, *posuit desertum in stagna aquarum*, etc., id est, fecit, ut in locis desertis et arentibus existerent flumina, et *terra*, quae erat *sine aqua*, abundaret rivis *aquarum*. Et in iis locis, alias incultis et desertis, fecit, ut frequentes homines *habitarent*, *civitates construerent*, *terram colerent*, *fructus* inde perciperent, *multiplicarentur* denique valde tum homines, tum *iumenta* eorum; hoc enim significat illud, *iumenta non minoravit*, id est, fecit, ut non esset exiguus numerus *iumentorum*, sed plenus et copiosus. Ad quam historiam hic respiciat propheta incertum est: caeterum s. Augustinus in sensu litterali, vel certe allegorico totum hunc locum exponit de sy-

nagoga Iudaeorum antea foecunda, at postea deserta; ac de Ecclesia gentium antea deserta; et postea foecunda, etc.

39. *Et pauci facti sunt: et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.* 40. *Effusa est contemptio super principes; et errare fecit eos invio, et non in via.* 41. *Et adiuvit pauperem de inopia: et posuit sicut oves familias.* 42. *Videbunt recti et laetabuntur; et omnis iniquitas oppilabit os suum.* Docet nunc propheta, nihil in terris esse perpetuum aut stabile; nam illi quibus Deus aliquando benedixit, et quos benedicendo multiplicavit; paulo post exigentibus peccatis eorum, imminuti sunt, et ad paucitatem redacti. *Et pauci facti sunt*, id est, et postea cum multum crevissent, vicissim minui coeperunt: *et vexati sunt*, etc., id est, et cum aliquando, prosperitate vigente, laeti fuissent, coeperunt *vexari a tribulatione et dolore* ob mala, quae illis advenerunt. *Effusa est contemptio super principes*, id est, Deus providentia sua facit, ut gloriosi et superbi principes, viles et contemptibiles fiant. *Et errare fecit eos*, etc. Haec est causa contemptus, quia principes ob sua et populi peccata deserti a lumine sapientiae et gratiae per *devia* incedunt, et non per *vias rectas*, id est, vitiose vivunt, exemplo malo populum scandalizant, vel etiam leges iniquas constituunt, favent malis, vexant bonos. Dicitur autem Deus *eos errare facere*, quia in poenam peccati eos non illuminat. *Et adiuvit pauperem de inopia*, id est, sicut Deus superbos principes errare permittit, et contemptibiles reddit, ita e contrario *pauperes* et humiles adiuvat, *et de inopia* sublevat. *Et posuit sicut oves familias*, id est, familias pauperum iustorum multiplicavit instar gregis ovium. Ita fere s. Augustinus et Theodoretus. *Videbunt iusti et laetabun-*

tur, id est, ex hac providentia Dei tandem fiet, ut *iusti laetentur* et Deum laudent: *et omnis iniquitas oppilabit os suum*, id est, omnes *iniqui obmutescent*, nec audebunt ullo modo contradicere; id quod potissimum apparebit in iudicio universali.

43. *Quis sapiens, et custodiet haec? et intelliget misericordias Domini?* Haec est psalmi conclusio, in qua dicit propheta illum esse vere *sapientem*, qui quae dicta sunt tam de providentia, quam de *miseriordia Domini* intelligit, et in corde suo custodit: dicit autem *quis sapiens?* quoniam paucorum est ista *sapientia*, et stultorum infinitus est numerus.

PSALMUS CVII.

Synopsis

Orat, et ex promisso Dei sibi pollicetur victoriam contra Idumaeos. Titulus est: Canticum Psalmi ipsi David.

Caeterum hic psalmus qui incipit: *Paratum cor meum, Deus*, conflatus est ex fine duorum psalmorum LVI et LIX, adeoque explicatione non eget. Cur autem hic additus sit ad alios, cum nihil contineat novi, ratio videtur fuisse, ut compleretur numerus CL psalmorum; nisi forte subsit aliqua ratio magis recondita quam sibi notam non esse fatetur Bellarminus (*).

(*) Ratio in promptu est: cum xx. 7-14 Ps. LIX eadem numerali serie in Ps. CVII decurrant, ipsisque inibi e contrario exordii vicem praesent qui in Ps. LVI postremo loco sunt, neque semper eadem omnino verba utrobique usurpentur; patet non binas hic duorum Psalmorum medietates haberi, sed novam Ps. LIX editionem ab ipso Davide accommodatae ad nova adiuncta retractati.

(Nota Editoris).

PSALMUS CVIII.

Synopsis

Est prophetia per modum imprecationis adversus Iudam, et Iudaeos Christi persecutores. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus et Euthymius. Non desunt, qui psalmum ad litteram exponant de persecutoribus David, qualis fuit Doëg, Achitophel, etc. Titulus psalmi est: In finem, Psalmus David.

1. *Deus, laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.* Rogat Christus homo Deum Patrem, ut laudem eius, id est, innocentiam, charitatem, aliasque virtutes non taceat, sed revelet ac manifestet. Reddit deinde causam, cur gloriam istam a Deo petat, quoniam non desunt qui eam falsis criminibus obscurare conantur. *Quia, inquit, os peccatoris et dolosi, Caiphae videlicet, et Iudae, vel generatim populi iudaici super me apertum est.* Dicit autem *peccatoris et dolosi* quoniam persecutores Christi odio et invidia pleni erant, et tamen *dolo* saepius simulabant amicitiam.

2. *Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me; et expugnaverunt me gratis.* Declarat quod dixit: *Apertum est os dolosi, quia locuti sunt adversum me lingua dolosa, laudantes ut magistrum bonum et interim insidiantes mihi.* *Apertum est quoque os peccatoris, quia sermonibus odii circumdederunt me, manifestantes verbis apertis odium, quod gerebant in corde, omnes autem gratis me oppugnabant, quia sine ulla iusta causa.* Illud *expugnaverunt* positum est pro *oppugnaverunt*, ut ex hebraeo et graeco patet.

3. *Pro eo ut me diligere, detrahebant mihi; ego autem orabam.* Explicat ultimam illam particu-

lam *gratis*; nam cum rependere deberent amorem amori, illi vice *dilectionis detrahebant mihi*: ego tamen non reddidi mala pro malis, sed *orabam* Deum pro illis. Id aperte fecit Dominus in cruce; sed credibile est, id eum occulte fecisse, quotiescunque *detractiones* audiebat.

4. *Et posuerunt adversum me mala pro bonis; et odium pro dilectione mea.* Idipsum clarius repetit; q. d. rependerunt mihi maledictionem pro benedictione, odium pro amore.

5. *Constituere super eum peccatorem; et diabolus stet a dextris eius.* Transitum facit propheta ad Iudam, quem praevidebat *ducem futurum eorum, qui comprehenderunt Iesum.* Act. 1. Et per modum imprecationis praedicit, quae illi eventura prospiciebat. *Constituere super eum peccatorem*, id est, *constitues* super eum spiritum avaritiae, cui serviet infeliciter usque ad mortem. *Et diabolus stet a dextris eius*, id est, *diabolus* erit dux eius in operibus malis et nunquam recedet a latere.

6. *Cum iudicatur, exeat condemnatus; et oratio eius fiet in peccatum.* Praedicitur infelix Iudae exitus: *Cum iudicatur* a Deo in exitu de hac vita, *exeat*, id est, *exibit condemnatus*, et si forte *oraverit* Deum, *oratio* eius non solum non impetrabit remissionem peccati, sed ipsa etiam *oratio fiet illi in peccatum*; quia *oravit* sine spe indulgentiae, et desperans laqueo se suspendit, ut ait s. Hieronymus, vel quia eius *oratio* facta non est per Christum mediatorem: ut habet s. Augustinus, qui observat, quod Iudas personam synagogae, et typum Iudaeorum gesserit; adeoque quae hic de Iuda dicuntur, etiam conveniunt Iudaeis. Iudaei enim *exeunt* de hac vita *condemnati* ad mortem sempiternam, et *oratio* eorum *fiet illis in peccatum*, quia non *orant*

Patrem per Filium, et quia postulant quae Deo non placent, excidium videlicet christianorum, et adventum Antichristi, hunc enim pro Christo recipient. Io. v.

7. *Fiant dies eius pauci; et episcopatum eius accipiat alter.* Hic est locus, quem s. Petrus allegavit Actor. i. Videmus autem in Iuda vaticinium perfectissime impletum fuisse; nam *facti sunt pauci dies eius*, sive iam *dies* apostolatus, sive *dies vitae* intelligamus. *Et episcopatum*, id est, apostolatum *eius accipiat alter*, Mathias videlicet; *episcopatus* hebraice *praefecturam* significat. Hoc idem impletum est in Iudaeis; nam post Iudae peccatum pauci fuerunt Iudaeorum *dies* in episcopatu, sive pontificatu et sacerdotio, quod translatum est ad sacerdotium secundum ordinem Melchisedech.

8. *Fiant filii eius orphani, et uxor eius vidua.* Quod in Iuda impletum est, dum laqueo se suspendit: in Iudaeis vero, dum in excidio Hierosolymae omnes fere viri interierunt, et relictis sunt plurimi *orphani et viduae*.

9. *Nutantes transferantur filii eius et mendicent; et eiiciantur de habitationibus suis.* Explicat aerumnas filiorum Iudae, ac dicit eos instabiles vagaturos et *mendicatuos* in aliena regione, quoniam ab habitatione sua *eiicientur*; id in Iudaeis pariter impletum est.

10. *Scrutetur foenerator omnem substantiam eius; et diripiant alieni labores eius.* Redditur ratio cur filii Iudae, et caeteri Iudaei sint futuri pauperrimi; quia videlicet creditores diligentissime quaerent et accipient *substantiam* eorum; et si quid superfuerit ex *labore eorum*, *diripiant alieni*, qui fuerunt milites Titi imperatoris. Et hoc quidem olim contigit Iudaeis, sed nunc foeneratores effecti ex bonis pauperum christianorum ditescunt.

11. *Non sit illi adiutor ; nec sit qui misereatur pupillis eius.* Et hoc manifeste impletum est et in Iuda et in Iudaeis : Iudas pecuniam ad sacerdotes referens , ac se peccasse confessus , nihil auxilii , vel consolationis accepit : Matth. xxvii. Iudaei a Romanis obsessi neminem habuerunt , qui eos iuvare auderet.

12. *Fiant nati eius in interitum : in generatione una deleatur nomen eius.* Hoc quidem de filiis carnalibus Iudae impletum esse credimus ; sed scimus etiam illud impletum in filiis spiritualibus , nam aliorum apostolorum multi filii filiorum , quos per Evangelium genuerunt , numerati sunt ; Iudae vero spiritualis posteritas nulla est. Iudaei autem , quamvis non omnino extincti sint , periit tamen *in generatione una* regnum sive respublica eorum ; post eversam enim Hierosolymam dispersi fuerunt in gentes.

13. *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini ; et peccatum matris eius non deleatur.* Addit propheta ad calamitates Iudae et Iudaeorum , ut *peccata* parentum in eis puniantur. Vocat autem *patres* , non solum *patrem* eius naturalem , sed omnes eos Hebraeos , qui peccaverunt in deserto , et postea in terra promissionis. Vocat vero *matrem* , non tantum *matrem* propriam , sed integram synagogam , sive ipsam civitatem Ierusalem. Caeterum non repugnat hoc Ezechieli , qui c. xviii dicit : *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ezechiel enim loquitur de filiis qui non imitantur *peccata* parentum : psalmus loquitur de filiis qui *peccata* parentum imitantur. Uti etiam habetur Exodi xx et Matth. xxiii.

14. *Fiant contra Dominum semper , et dispereat de terra memoria eorum : pro eo quod non est re-*

cordatus facere misericordiam. Id est, scelera parentum eius versentur continuo coram oculis Domini, ut illa puniat in impio filio. *Et dispereat de terra memoria eorum,* nam nulla fit Iudae commemoratio, et si nomen eius pronuntiatur, id cum execratione et horrore fit. Sic quoque gentis Iudaeorum non nisi cum contemptu fit mentio. Addit propheta causam tot calamitatum Iudae et Iudaeorum: quoniam *non est recordatus facere misericordiam.* Hoc enim fuit peccatum Iudae, quod cum videret principes Iudaeorum furere adversus Christum, ipse nulla *miserecordia* motus innocentem magistrum crudelissime tradidit. Idem suo modo Iudaeorum peccatum erat.

15. *Et persecutus est hominem inopem, et mendicum et compunctum corde mortificare.* Explicat propheta crudelitatem Iudae et populi Iudaeorum, quia scilicet *persecutus est* Christum, ad eum morti tradendum; hoc enim significat illud *mortificare*: dicitur autem Christus *homo inops*, quia cum esset dives, *propter nos egenus factus est*, II. Cor. viii. Dicitur etiam *mendicus*, quia ex aliena misericordia in hoc mundo vivere voluit. Dicitur denique *compunctus corde*, non compunctione culpa, sed compunctione poenae, et anxietatis ac sollicitudinis, quam pro salute generis humani assidue in corde gerebat. Ita s. Hieronymus, Theodoretus, Euthymius, et alii.

16. *Et dilexit maledictionem et veniet ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.* Iudas tradendo Christum ob cupiditatem modicae pecuniae *dilexit maledictionem*, quia ipse sibi causa fuit, cur *malediceretur* a Deo; et ipse idem deserendo Christum, in quo benedicendae erant omnes generationes, *noluit benedictionem*, quia ipse sibi causa fuit, cur non *benediceretur* a Deo. Quod idem de populo

Iudaeorum dici potest. Porro *benedictio* Dei cumulum bonorum omnium significat, quemadmodum et *maledictio* cumulum omnium malorum. Caeterum ille, qui scelera *diligit*, eo ipso adnexam poenam et supplicium, quod sequitur, *diligere* censetur.

17. *Et induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora eius, et sicut oleum in ossibus eius.* Declarat similitudinibus maledictionem divinam esse cumulum omnium malorum tum externorum, tum internorum. Primo comparat eam *vestimento*, quod totum corpus undique tegit, deinde comparat *aquae*, quae ad omnia interna hominis demersi intrat, et denique comparat *oleo*, quod subtilissimum est, et ipsa etiam ossa pervadit: sic igitur maledictio Iudae et Iudaeorum et omnium, quibus dicitur: *discedite, maledicti*, replebit malis et corpus et animam, mentem, voluntatem, etc.

18. *Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur; et sicut zona, qua semper praecingitur.* Addit propheta maledictionem illam non solum ubique penetraturam, sed etiam sempiternam futuram. *Fiat*, inquit, *ei* Iudae, etc., ea maledictio *sicut vestimentum*, id est, semper illi adhaereat, et etiam firmissime adhaereat, quomodo *zona* sive cingulum firmissimis et multiplicibus modis adstringi solet.

19. *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi, apud Dominum; et qui loquuntur mala adversus animam meam.* Concludit propheta praedictionem miserationum Iudae, dicens: *Hoc opus eorum*, id est, haec est merces *operis* eorum, *qui detrahunt mihi*, id est, qui me seductorem vocant, etc., *apud Dominum*, id est, haec erit merces eorum *apud Dominum*, sive a Domino: *et qui loquuntur*, etc., id est, qui obloquuntur de me *mala*; est enim repetitio prioris.

20. *Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter*

nomen tuum; quia suavis est misericordia tua. In ultima parte psalmi precatur Christus pro se, et pro corpore suo, quod est Ecclesia. Primo orat Dominum, ut sibi semper adsit: *Et tu, Domine, fac mecum*, id est, *mecum* operare, mihi te adiunge, *propter nomen tuum*, id est, ad gloriam tuam, *quia misericordia tua benigna est*, et facile inclinatur ad succurrendum miseris.

21. *Libera me, quia egenus et pauper ego sum; et cor meum conturbatum est intra me.* Pergit in oratione propheta in persona Christi, et videtur respicere tempus illud, quo Christus dixit Ioan. xxii: *Nunc anima mea turbata est*, etc., vel cum in horto precatus est Patrem et apostolis dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Porro quod attinet ad corpus Christi, quod est Ecclesia, petitur *liberatio* a persecutionibus et tentationibus.

22. *Sicut umbra cum declinat, ablatum sum; et excussus sum sicut locustae.* Haec pertinent ad comprehensionem Domini. *Sicut umbra*, etc., id est, *ablatum sum* a comitatu discipulorum ad tribunalia, eo silentio, quo declinans umbra deficere solet. *Et excussus*, id est, *iactatus sum* ab uno tribunali ad aliud, *sicut locustae*, vilissima scilicet animalia, a vento iactari solent ab uno loco ad alium.

23. *Genua mea infirmata sunt a ieiunio; et caro mea immutata est propter oleum.* Varii varie hunc locum exponunt, sensus autem maxime ad litteram videtur hic esse. *Genua mea* debilitata sunt a *ieiunio*, et *caro mea immutata*, sive macie et pallore confecta apparuit, vel propter pinguedinem suam amissam, ut habetur in hebraeo, vel ob defectum *olei*, quo ungar. Quamvis Christus vitae suae tempore frequenter *ieiunaverit*; hic tamen potissimum describi videtur debilitas tempore passionis.

24. *Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, et moverunt capita sua.* Hoc contigit, cum Iudaei Dominum in medio latronum crucifixum viderunt, et viso eo capita sua moverunt, dicentes: *Vah, qui destruis templum Dei, etc.*

25. *Adiuva me, Domine Deus meus; salvum me fac secundum misericordiam tuam.* Precatur Dominus auxilium Patris ad celerem resurrectionem, ut dictum est Ps. XXI et LXVIII, et simul precatur corpori suo mystico, id est, Ecclesiae veram salutem.

26. *Et sciant, quia manus tua haec; et tu, Domine, fecisti eam.* Admonet propheta in persona Christi, hoc totum a Deo factum esse, iuxta illud Act. III: *Deus, qui praenuntiavit per os omnium prophetarum sic implevit.* *Et sciant* homines omnes, praesertim Iudaei, *quia manus tua haec*, id est, quia haec res, haec passio, haec mors mea, a manu, sive voluntate et potestate tua processit: *et tu, Domine, fecisti eam*; neque enim potuissent Iudaei aut gentes Christo praevalere, eundem affligere, aut occidere, nisi Deus voluisset. Ita Theodoretus et Bellarminus.

27. *Maledicent illi, et tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur: servus autem tuus laetabitur.* Persecutores ignorantes haec, quae dicta sunt, *maledicent* mihi, et Ecclesiae meae: sed *tu benedices* non solum mihi, sed etiam propter me *benedices* omnes gentes. Ex quo fiet, ut illi, qui me persequuntur, et mihi *maledicunt*, tandem *confundantur: servus autem tuus*, ego et fratres mei laetitia sempiterna fruemur.

28. *Induantur qui detrahunt mihi pudore: et operiantur sicut diploide confusionè sua.* Confirmat quod dixit, et per modum imprecationis praedicit, omnes Christi et Ecclesiae adversarios tandem cor-

ripiendos *confusione et pudore instar vestimenti duplicis* undique hominem operientis: quod quidem in die iudicii omnino implebitur: per illud *diploide* significatur vestis, vel pallium duplicatum, ut sensus sit, multiplici ignominia *confundantur*, tam in hac, quam in altera vita. Ita s. Gregorius et s. Bernardus.

29. *Confitebor Domino nimis in ore meo: et in medio multorum laudabo eum.* Hoc opponitur confusione impiorum; illi enim prae confusione obmutescunt; Christus autem et electi eius *confitebuntur laudes Deo nimis in ore suo*, sive magno clamore, magnoque iubilationis affectu, idque *in medio multorum* in die iudicii et postea in aeternum.

30. *Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.* Haec est ratio tantae confessionis et laudis, quoniam Deus auxilio suo *astitit a dextris pauperis* Christi et populi eius, ut *salvaret a persequentibus* iudaeis vitam temporalem Christi, quod factum est per celerem resurrectionem, et *a persequentibus*, tum hominibus, tum daemonibus vitam aeternam electorum eius.

PSALMUS CIX.

Synopsis

Agit hic psalmus de regno et sacerdotio Christi: ita explicante Spiritu S. in multis locis. Matth. xxii, Act, ii, 1. Cor. xv, ad Hebr. v, vii, et x. Titulus est: Psalmus David.

1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* David in spiritu vidit Messiam post mortem ascendentem in coelum, et refert ad nos verba Dei

Patris ad Filium, quibus eum invitât ad *consedendum*, et conregnandum. *Dixit Dominus Deus Pater, Domino meo Messiae*; hic enim non solo titulo deitatis, sed et redemptionis, ac singularis gratiae, et in omnibus praecellentiae, vere est *Dominus Davidis* et totius orbis: *Sede a dextris meis*, id est, regna et impera proximus mihi, in summa gloria et felicitate. Ita s. Hieronymus, Theodoretus et alii. Ex hoc versu convicit Christus iudaeos, Matth. xxii, v. 44, quod non sit solum filius Davidis, seu purus homo, sed etiam verus Deus.

2. *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*, id est, dum omnes inimicos tuos, iudaeos ac gentiles, qui noluit ut regnes, *ponam scabellum pedum tuorum*, vel ita tibi subiiciam, ut *pedibus* eos conculces devictos et prostratos. Illud *donec* significat regnum Christi semper propagandum magis et magis, *donec* nullus omnino supersit *inimicus*, qui illi genua non flectat. At cur dicit Pater: *Donec ponam*? Nonne quod Pater operatur, etiam Filius operatur? Omnino: sed tribuitur haec actio Patri, quia per eam redditur merces obedientiae Filii, ut ait apostolus, propter quod et exaltavit illum. Philipp. ii.

3. *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum*. Convertit se propheta a Patre ad Filium, et ait: *Virgam virtutis tuae*: sive sceptrum potentiae tuae, id est, regale imperium tuum, quo coepisti *dominari* paucis discipulis in *Sion* et Iudaea, inde *emittet Dominus Pater* in universum mundum, tuae fidei, et servituti subiiciens omnes gentes, ut palam et libere *domineris* illis, etiam *in medio frementium* et furentium *inimicorum tuorum* iudaeorum, turcarum, paganorum, haeticorum. Ita s. Augustinus et alii.

4. *Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.* Dixerat: Dominare in medio inimicorum tuorum, quod intelligitur in hoc tempore, dum regnum Christi ab inimicis oppugnatur: declarat nunc, quid futurum sit in novissimo die, quando iam omnes inimici subiecti erunt ut scabellum pedibus eius. *Tecum principium*, id est: *Tecum erit principatus* manifestus, tunc apparebit omnibus, apud te solum esse verum *principatum: in die virtutis tuae*, in die videlicet novissimo, quando virtus seu potentia tua coelum movebit, solem obscurabit, etc. *In splendoribus sanctorum*, id est, quando circumdatus eris sanctis tuis, qui omnes fulgebunt sicut sol. *Ex utero ante luciferum genui te*, id est, ideo *tecum* erit tantus *principatus*, quia ego Deus Pater omnipotens *genui te*, non ex nihilo, ut res creatas, sed *ex utero meo*, ut Filium verum, naturalem, et consubstantialem, idque *ante luciferum*, id est, antequam stellas crearem, ante omnem creaturam, ante omnia saecula. Haec est communis expositio PP. Hieronymi, Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, Euthymii et aliorum.

5. *Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Transit a dignitate regia ad sacerdotalem, atque ostendit Christum esse *sacerdotem aeternum*. non succedentem Aaroni, sed immediate a Deo institutum, cuius figura fuerat *sacerdotium Melchisedech*. *Iuravit Dominus, et non poenitebit eum*, id est: Firmissime statuit nunquam mutaturus: *Tu es sacerdos in aeternum*. Haec dicuntur a Deo, non a Davide, scilicet, Deus Pater certo constituit, ut tu sis sacerdos quamdiu mundus stabit, et sis sacerdos secundum ritum et ordinem Melchisedechi, regis Sa-

lem, qui panem et vinum mihi consecravit. Hinc necessario sequitur oblationem Eucharistiae tum Christi in ultima coena, tum nostram quotidie in Missa esse verum et proprie dictum sacrificium, ut docet Trid. Sess. xxii, c. 1 et SS. PP. qui apud Suarez, Bellarminum, et alios videri possunt.

6. *Dominus a dextris tuis, confregit in die irae suae reges.* Propheta postquam dixerat Filium a Patre sacerdotem aeternum appellatum fuisse, convertit sermonem ad Patrem, ac dicit Christum vere fore sacerdotem aeternum, quia etiamsi multi *reges* terrae conspirabunt, ut sacerdotium, totamque eius religionem evertant; ipse tamen *Dominus* sedens a *dextris tuis*, sicut illi dixisti: *sede a dextris meis, confregit*, id est, confringet *reges* adversarios Herodem, Neronem, Diocletianum, etc., *in die irae suae*, id est, *in die* qua irascetur inimicis suis *regibus* terrae Ecclesiam suam persequentibus. Ita s. Augustinus.

7. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.* Dixit quid Christus *faciet* in praesenti tempore adversus hostes suos, *reges* et principes terrae: nunc addit, quid factururus sit in die novissimo adversus omnes inimicos suos, tunc enim *iudicabit in nationibus*, id est, iudicium exercebit *in nationibus* omnibus: *implebit ruinas*, id est, consummabit ultimum exterminium, complementum *ruinae* impiorum perficiet: *conquassabit capita*, id est, plene humiliabit, et conteret omnes superbos, qui nunc erecto *capite* adversus eum incedunt. Dicit autem *in terra multorum*, sive, ut in Hebraeo habetur, *in terra multa*, quia *in terra* paucissimi inveniuntur vere humiles et pii, respectu superborum et impiorum. Ita Theodoretus, Euthymius et alii communiter. Thomas

Le Blanc, illud *implebit ruinas* pulcre sic exponit: Iustis in coelum evectis, *ruinas* reparabit ab angelis apostatis factas.

8. *De torrente in via bibet*: propterea *exaltabit caput*. Reddit David rationem, cur tanta sit Christi potentia, ut reges confringere, nationes iudicare, implere ruinas, et conquassare capita possit, ac dicit: *De torrente in via bibet*, etc., ac si diceret cum apostolo: *Humiliavit semetipsum factus obediens, usque ad mortem*, etc., *propter quod et Deus exaltavit illum*, etc., *De torrente in via bibet*, id est, dum inter mortales peregrinus aget, inundantem calamitatum, praesertim passionis *torrentem* exhauriet: ob tantam igitur humiliationem sponte susceptam pro gloria Patris et salute generis humani, postea *exaltabit caput* suum, ascendens in coelum, et sedens ad dexteram Patris, constituendus iudex vivorum et mortuorum.

PSALMUS CX.

Synopsis

Laudat Deum a miris operibus ipsius, et multiplicibus beneficiis in homines collatis. Titulus est: Alleluia.

1. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in consilio iustorum et congregatione*. David incipit hymnum ab invocatione, et simul explicat modum, quo utiliter laudari debet Deus. *Confitebor tibi, Domine*, id est, laudabo te *in toto corde meo*, id est, non solum voce, sed etiam corde, et quidem *toto corde*, id est, toto affectu: vel *toto corde*, id est, summa attentione, nihil aliud cogitando. *In consilio iustorum et congregatione*, id est, laudabo te tum

inter paucos *iustos* (nam per *consilium iustorum* ex Chaldaeo intelligitur locus secretus, ubi soli sapientes conveniunt ad *consilium*), tum in coetu multorum, et eorum promiscua multitudine, q. d. Clam et palam laudabo te.

2. *Magna opera Domini; exquisita in omnes voluntates eius.* Laudat primo ab *operibus* in communi Deum, quia scilicet omnia *opera* eius *magna* sunt, e quibus infinita Dei potentia et sapientia elucet: nec solum *magna* sunt, sed *exquisita in omnes voluntates eius*, id est, *exquisite*, et accurate ac tanta arte facta, ut omnes eius voluntates expleant, eis-que perfectissime subdantur. Ita Euthymius, Theodoretus, Genebrardus, Tirinus, Le Blanc, et alii: vel, ut Bellarminus exponit: *quaesita* et parata in omnem usum Deo placitum, ut de illis faciat quidquid voluerit.

3. *Confessio et magnificentia opus eius: et iustitia eius manet in saeculum saeculi.* Transit nunc propheta ab *opere creationis* ad *opus gubernationis*, et ostendit, hoc etiam *opus* omni laude esse dignissimum. *Confessio et magnificentia opus eius*, id est, *operatio* eius, qua mundum regit et gubernat, est *confessio*, id est, materia *confessionis* et laudis; et etiam est materia *magnificentiae* suae omnibus declarandae. *Et iustitia eius manet in saeculum saeculi*, id est, non solum Deus magnifice gubernando *operatur*, quia prospicit omnibus abundanter, sed etiam *iustissime*, ut nunquam *munificentia* eius a *iustitia*, quae aeternum durabit, disiuncta sit. Ita Bellarminus.

4. *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Descendit ad particulare quoddam opus providentiae divinae, quando scilicet pluit manna de

coelo. *Fecit, dedit, reliquit memoriam*, seu *memoriale* omnium *mirabilium* operum suorum *misericors et miserator Dominus* (*misericors, et miserator* in eo distingui videntur, quod *misericors* ad habitum, *miserator* ad actum pertinet); dedit scilicet *escam* illam singularem, manna coeleste *timentibusse*, id est, cultoribus suis hebraeis, allegorice Eucharistiam, quae data est populo christiano in cibum spirituales, et quasi compendium in se concludit multa et *mirabilia* miracula, nobisque *in memoriam* revocat, imo repraesentat omnia mysteria incarnationis, nativitatis, passionis et mortis Christi. Hac quoque esca confirmavit Christus *testamentum*, seu pactum *suum* novum, quod iniit cum hominibus. Matth. xxvi. Ita s. Augustinus, et Theodoretus, Bellarminus, Tirinus et alii.

5. *Memor erit in saeculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.* Sicut Deus volebat, ut populus *memor* esset mirabilium suorum, quae fecit; ita vicissim promittebat, se *memorem* futurum pacti sui, quod cum illis iniierat; ideo dicit: *mèmor erit in saeculum testamenti sui*, id est, ostendet continua providentia et protectione, se *memorem esse foederis*, et promissorum suorum. Explicat deinde quomodo *memor erit testamenti sui*, dicens: *virtutem operum suorum annuntiabit populo suo*, id est, *memor* pacti sui notam faciet populo suo *virtutem* sive potentiam et fortitudinem *operum suorum*: convertendo Iordanem retrorsum, clangore tubarum evertendo muros Iericho, etc.

6. *Ut det illis haereditatem gentium: opera manuum eius veritas et iudicium.* Ista autem, de quibus dictum est, et similia multa mirabilia operatus est Dominus, *ut det illis haereditatem gentium*,

id est, ut daret illis fidelibus suis terram Palaestinae, quam gentiles chananaei tanquam propriam *haereditatem* et possessionem oblinebant. Praecipuum enim caput foederis, quod cum Abraham pepigit Deus, erat, ut daret posteris eius hebraeis terram chananaeorum, quae ideo postea dicta est terra promissionis. Ne vero quis iniustitiam suspicaretur in eo, quod Deus terram Palaestinae abstulit chananaeis, et donavit iudaeis, addit: *opera manuum eius veritas et iudicium*; id est, *opera Dei*, et in iis hoc particulare *opus* expulsionis chananaeorum et introductionis iudaeorum facta sunt cum magna fidelitate et iustitia. Quoniam igitur Deus promiserat Abrahae, terram illam se daturum posteris eius, hoc *opus Dei* factum est in *veritate*, seu fidelitate: et quoniam idem Deus non ante expulit chananaeos, quam impleta esset mensura peccatorum, ob quae expelli mererentur; ideo hoc idem *opus* factum est cum *iustitia*, quae hic dicitur *iudicium*, quod est actus iustitiae.

7. *Fidelia omnia mandata eius: confirmata in saeculum saeculi, facta in veritate et aequitate.* Quod chananaei mererentur puniri, et in poenam privari terra Palaestinae, probat propheta, quia non servaverunt praecepta Dei naturalia, quae sunt omnibus communia et immutabilia; ait igitur: *Fidelia omnia mandata eius*, id est, omnia praecepta Dei, praesertim naturalia, *fidelia* sunt, cum sint rectissima et iustissima, et per hoc poenam afferant praevicatoribus, et praemia observatoribus. Nec solum *fidelia* sunt, sed etiam immutabilia, et indispensabilia, cum in nullo casu inveniri possint iniusta; ideo addit: *confirmata in saeculum saeculi, facta in veritate et aequitate*, id est, stabilita sunt aeterna firmitate, quia condita sunt in veritate, id est, in

rectitudine et aequitate, id est iustitia. Videatur s. Thomas 1 2, q. 100, a. 8.

8. *Redemptionem misit populo suo: mandavit in aeternum testamentum suum.* Non pauci haec referunt ad liberationem populi de Aegypto; sed de altiore *redemptione* exponunt s. Augustinus, Euthymius et alii. Post decantata igitur beneficia Dei erga Patres V. T. transit ad beneficium longe excellentius T. N. quo vera ac aeterna *redemptio* continetur. *Redemptionem misit populo suo*, q. d. post haec misit *Redemptorem* toties promissum, et tandem expectatum, qui *populum suum* pretio sanguinis sui *redemit*; et hoc modo vere ac proprie *mandavit*, sive iussit, et statuit, ut *testamentum* sive pactum suum de possessione coelestis patriae esset *aeternum*.

9. *Sanctum et terribile nomen eius: initium sapientiae timor Domini.* Docet consequenter modum permanendi in testamento Domini, ut assequamur promissiones eius. *Sanctum et terribile nomen eius*, id est, qui hoc testamentum aeternum statuit, *sanctus* est, et ideo immunditiam peccati odit, et simul immundos punit, quia *terribilis* est. Et propterea *initium sapientiae timor Domini*, id est, illi vere incipiunt *sapere*, qui *timent Dominum*, et ex timore illo cavent a peccatis, observant legem, operantur bona, ut paulatim ex *timore* ad amorem perveniant.

10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in saeculum saeculi.* Declarat quod dixit: *Initium sapientiae*, etc. q. d. *Intelligentia* quidem (nam nomine *intellectus* hic significatur ipsa *intelligentia*, seu scientia) *bona* est, sed *facientibus eam*, hoc est, non solum qui speculative sciunt, Deum super omnia timendum, sed qui in super id *faciunt*, seu opere ipso praestant, ex ti-

more filiali declinantes a malo, et virtutibus serio incumbentes; hi vere *intelligentes* et sapientes sunt, et *laudabuntur* in tota aeternitate. Ita fere s. Augustinus, Bellarminus, Tirinus et alii.

PSALMUS CXI.

Synopsis

Docet timentes Deum, maxime si in pauperes benefici sint, multis a Deo bonis cumulandos esse. Titulus est Alleluia, cui in Romanis Bibliis additur Reversionis Aggaei et Zachariae: quia hi videntur usi hoc psalmo, cum post expletum tempus captivitatis redierunt ad populum.

1. *Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.* Haec est propositio, quam per totum psalmum variis argumentis probat, ut suadeat omnibus pietatem. *Beatus vir*, inquit, *qui timet Dominum*, sed quia non quicumque timor beatum facit, addit declarans, *in mandatis eius volet nimis*, ubi repetendum est illud *qui*, ut sensus sit: *Beatus est vir ille, qui timet Dominum*, qui ex eo timore versabitur libentissime *in mandatis eius implendis*: nam *in mandatis velle nimis*, nihil est aliud, nisi *mandata* valde diligere, sive in his implendis magnam habere *voluntatem*. Verbo, ille dicitur felix, qui et interior *timet* Deum timore sancto, et exterior *promptus* est ad implenda *mandata*.

2. *Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.* Haec est prima felicitas timentis Deum, quod multam prolem consequetur. *Potens in terra erit semen eius*, id est, robusta erit eius posteritas ob multitudinem filiorum: et rationem

reddit: quia *generatio rectorum benedicetur*, sive *generatio iustorum* ex divina benedictione foecundissima erit. Haec felicitas non erat semper in viris iustis, sed frequens: si tamen intelligatur de fructu bonorum operum ex semine gratiae coelestis prodeunte, felicitas erit omnino perpetua.

3. *Gloria et divitiae in domo eius: et iustitia eius manet in saeculum saeculi.* Secunda felicitas est honorum et opum abundantia, quae tamen non inducant ad peccatum, neque iustitiam corrumpant. *Gloria et divitiae in domo eius*, id est, iustus honoribus et divitiis abundabit, et tamen, quod est omnium felicissimum, non corrumpetur animus eius istis fortunae bonis, sed *iustitia* et probitas eius perseverabit usque in finem. Haec etiam felicitas non est perpetua; si tamen agatur de gloria interna, de bonae conscientiae testimonio, de divitiis, etc., perpetua felicitas erit.

4. *Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors et miserator et iustus.* Tertia felicitas timentium Deum, est *lumen* prudentiae et consilii divinitus affulgens: *Exortum est in tenebris lumen rectis*, id est, affulsit iustis hominibus, quales sunt timentes Deum, *lumen* consilii, et consolationis in *tenebris* dubitationum, et tribulationum, quod *lumen* est ipse Deus *misericors et miserator et iustus*, qui *misericordiam* facit viris *miseri cordibus*, quia *iustum* est, ut *miseri cordes misericordiam* consequantur.

5. *Iucundus homo, qui miseretur et commodat: disponet sermones suos in iudicio: quia in aeternum non commovebitur.* Quarta felicitas est laetitia spiritualis: *Iucundus homo*, qui enim Deum timent, facile indulgent offensiones, *miserando* fragilitates humanas, facile *commodant* egentibus: haec autem

bona opera maximam laetitiam pariunt in corde timentium Deum. Affert deinde aliam felicitatem, quae est prudentia in loquendo, propter quam maxima evitantur incommoda. Qui enim timet Deum, *disponet sermones suos in iudicio*, id est, dispensabit verba sua cum maturitate iudicii, ut neminem laedat, et inde plurima bona lucrabitur. Reddit autem rationem, cur *disponet sermones suos in iudicio*, quia *in aeternum non commovebitur*, h. e., quia constans est in propositis suis, et omnia prudenter praevidet, ut quidquid accidat, eum commovere non possit.

6. *In memoria aeterna erit iustus; ab auditione mala non timebit.* Sexta felicitas timentis Deum est, quod vivet semper in hominum memoria; neque solum *in memoria aeterna erit* apud mortales, sed etiam apud Deum et angelos in coelo: *et ab auditione mala non timebit*, id est, *non timebit* a detractio- nibus et reprehensionibus hominum impiorum, neque etiam *timebit* a sententia illa formidolosa: *Discedite, maledicti, in ignem aeternum.* Ita s. Hieronymus, s. Augustinus et alii.

7. *Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius; non commovebitur donec despiciat inimicos suos.* Septima felicitas timentis Deum est *firma* et stabilis divina protectio. *Paratum cor eius sperare in Domino*, id est, in omni adversitate sive periculo *cor eius paratum* habet refugium ad Deum, nunquam diffidit, nunquam haesitat, *confirmatum est cor eius* in hac fiducia, ut nullum ei sit periculum, ne ab illa forte deficiat, *non commovebitur*, etc., nunquam timebit, quamdiu periculum ab inimicis durabit: multo autem minus timebit, dum eos ut prostratos et devictos despiciet et contemnet.

8. *Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in saeculum saeculi; cornu eius exaltabitur in gloria.* Haec est octava felicitas, gratia bene utendi divitiis. *Dispersit dedit pauperibus*, id est, homo timens Deum, opes suas *sparsit in pauperes*, et abundanter effudit: et ex hac liberalitate duo bona lucratus est: primo, si pecunias diminuit, *iustitiam* auxit, et *iustitia eius*, id est, bonum opus eius, *manet in saeculum saeculi*, conservandum apud Deum, ut suo tempore mercedem plenam accipiat; deinde etiam in hoc saeculo *cornu eius exaltabitur in gloria*, id est, robur, potentia, *gloria* eius augebitur et crescet in dies. Ita s. Hieronymus; et s. Chrysostomus hinc concludit, eleemosynam esse artem omnium quaestuosissimam.

9. *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet: desiderium peccatorum peribit.* Postrema felicitas est, quod timens Deum omnem invidiam superabit. *Peccator videbit* bona opera timentis Deum, et felicitate et invidia torquebitur *et irascetur* sorti eius, et instar rabidi canis *fremet* adversus illum, et prae dolore *tabescet*: sed interim *desiderium impii*, quo cupit perditionem iusti, non adimplebitur, sed cum ipso impio brevi *peribit*.

PSALMUS CXII.

Synopsis

Hortatur Dei cultores ad ipsum Deum laudandum: ob id potissimum, quod, cum sit Altissimus, tamen non dignatur ad nos oculos inclinare, et multis nos beneficiis afficere. Titulus: Alleluia. Caeterum psalmus est facilis.

1. *Laudate, pueri, Dominum: laudate nomen Domini.* Nomine *puerorum* intelliguntur servi Dei, qui eum pure colunt. Ita s. Hieronymus et Chaldaeus.

2. *Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc et usque in saeculum.* q. d. *Ex hoc nunc* incipite laudare, et *usque in saeculum* laudate; sive prospera, sive adversa contingant, sive in hac vita, sive in futura, semper laus eius sit in ore vestro: ; et cum s. Iob semper dicite: *Sit nomen Domini benedictum.*

3. *A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.* Declarat hoc versu et sequentibus, materiam *laudis* Dei, ac dicit, ubique inveniri materiam *laudis* eius, cum omnia sint plena operibus eius magnis et mirabilibus.

4. *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria eius.* Nec solum per amplitudinem mundi; sed etiam per *altitudinem* ubique invenitur materia *laudis* Dei; nam omnes homines *excelsitate* sua, et angelos ipsos *gloria superat*: atque omnibus veluti rex dominatur.

5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: et humilia respicit in coelo et in terra?* Laudat nunc Deum ab admirabili benignitate, quae coniuncta cum tanta sublimitate admirabilior apparet. *Quis est sicut Deus noster, qui in altis ha-*

bitat ? videlicet in summo *coelo* ; et tamen *humilia respicit*, idque tam in *coelo*, quam in *terra*: nam in *coelo* superbos angelos detestatus, *humiles respexit*, et ad gloriae suae participationem evexit, et in *terra* pariter, despectis superbis, homines de se *humiliter* sentientes *respicit*. Ita s. Augustinus et alii. Altiore et prophetico sensu hic significatur, Deum in *coelo* sedentem non neglexisse genus humanum in *terra* *humiliter* abiectum.

6. *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem*. 7. *Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui*. Declarat cur Deus respiciat humiles, ac dicit id eum facere, ut eos exaltet. Quamvis autem haec applicari possint singulis hominibus, quos ex infimo gradu Deus evexit ad summum: tamen aptissime conveniunt hi duo versiculi toti humano generi, quod iacebat in *terra* et in *stercore* peccati: et Deus sedens in *coelo* respexit in *terram*, et inde *suscitavit inopem*, hominem videlicet spoliatum a latronibus, et iacentem in *stercore* miseriarum, ut *collocaret eum cum principibus* non quibuscunque, sed *cum principibus populi sui*, possessoribus *populi sui*, possessoribus coelestis Ierusalem et participibus regni coelorum:

8. *Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum laetantem*. Sensus est, *qui facit*, ut *sterilis* quae manebat solitaria, iam *habitet* inter multas proles in magna familia; id enim significatur per illa verba *matrem filiorum laetantem*, h. e. esse *matrem filiorum*, ac per hoc esse *laetantem* ob *filiorum* multitudinem, quae erat moesta ob *sterilitatem* et solitudinem. Potest quidem hoc totum referri ad singulas foeminas, ut Saram, Rebeccam, Rachelem, Annam, etc., sed altiore sensu pertinet ad Ecclesiam ex gentibus congregatam, quae longo

tempore mansit *sterilis*, sed in senectute peperit plurimos, iuxta illud Apost. ad Gal. iv, ex cap. LIV Isaiae, *Laetare, sterilis, quae non paris, erumpe et clama quae non parturis, quia multi filii desertae magis, quam eius quae habet virum.*

PSALMUS CXIII.

Synopsis

Decantat David mirabilia Dei, dum eduxerat filios Israëli de Aegypto: id quae ad eum finem, ut hortetur populum ad permanendum in confessione unius veri Dei, et sperandum continuo in eius protectione. Titulus est: Alleluia.

1. *In exitu Israëli de Aegypto; domus Iacob de populo barbaro.* 2. *Facta est Iudaea sanctificatio eius, Israëli potestas eius.* Id est, statim atque *israëlitae*, Iacobi patriarchae posterii, ex aegyptiaca servitute, et populo ignotae linguae, morumque barbarorum *exiverunt; facta est gens iudaica, sive israëlitica gens sanctificata Deo, et peculiariter subiecta potestati eius, q. d. laudate Dominum, quia cum egrederentur filii Israëli de Aegypto, tunc factus est populus Israëli populus sanctificatus ei, et subiectus peculiariter potestati eius, scilicet Dei.* Illud *in exitu* repetendum est, ubi dicitur *domus Iacob*. Per illud *Iudaea* non intelligitur terra quae dicitur *Iudaea*, sed gens iudaica. Ita Bellarminus, Tirinus, Le Blanc, et alii.

3. *Mare vidit et fugit: Jordanis conversus est retrorsum.* 4. *Montes exultaverunt ut arietes: et colles sicut agni ovium.* Narrat mirabilia quae acciderunt in egressu filiorum Israëli de Aegypto, et

commoratione in deserto, et ingressu in terram promissionis, sed narrat poëtica venustate, tribuens sensum mari, etc. *Mare rubrum vidit*, sive sensit potentem Dei manum, unde quasi perculsum *fugit*, dividens se in duas partes. Exod. xiv. Sic postea fugiens, et *Iordanis conversus est retrorsum*, id est, reduxit ad fontem aquas, ne fluerent in partem illam, per quam israelitae transibant. Iosue iii. *Montes*, nempe Sinai, et iuncti *colles exultaverunt*, id est, subsilierunt terrae motu, cum lex promulgaretur in Sinai, Exod. xix. Ita s. Hieronymus et Theodoretus, et alii: additur instar *arietum et agnorum*, quando scilicet repentino terrore saltant et fugiunt.

5. *Quid est tibi, mare, quod fugisti: et tu, Iordanis, quia conversus es retrorsum?* 6. *Montes exultastis sicut arietes, et colles sicut agni ovium?* 7. *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Iacob.* 8. *Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.* More poëtico interrogat mare, quare fugerit, et Iordanem, quare conversus sit retrorsum. *Quid est tibi, mare, quod fugisti? et tu, Iordanis, quid habes, quod conversus es retrorsum?* et vos montes, quare exultastis sicut arietes, et vos colles sicut agni ovium? *A facie Domini mota est terra.* Haec nimirum est causa, quia Dominus apparuit, et potentiam suam manifestavit, et ideo terra conspectum eius non sustinens, tota contremuit. *Qui Dominus convertit petram in stagna aquarum*, quando Moyse percutiente petram egressae sunt aquae largissimae Num. xx, quod repetitur et declaratur: *et rupem in fontes aquarum.*

9. *Non nobis, Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* Explicatis his mirabilibus, precatur propheta Deum nomine totius populi, ut non respiciat demerita populi, sed gloriam suam, et per-

gat protegere cultores suos. *Non nobis*, etc. id est, propter *gloriam nominis tui* protege nos, non propter merita nostra.

10. *Super misericordia tua et veritate tua: nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?* Indicat breviter rationes, cur Deus debeat nominis sui gloriam quaerere in conservando populo suo. *Super misericordia et veritate tua*, id est, propter *misericordiam et veracitatem tuam*, ut s. Hieronymus et Chaldaeus habet, inde enim gloria tua demonstrabitur, si cendas *misericordiam* erga populum tuum, et rursum si impleas *veritatem* promissionum tuarum, quas fecisti patribus nostris. *Ne forte dicant gentes, etc.*, est alia ratio, ne detur occasio gentibus incredulis detrahendi de potentia vel etiam de existentia tua.

11. *Deus autem noster in coelo: omnia quaecumque voluit fecit.* 12. *Simulacra gentium argentum et aurum: opera manuum hominum.* 13. *Os habent et non loquentur: oculos habent et non videbunt.* 14. *Aures habent et non audient: nares habent et non odorabunt.* 15. *Manus habent et non palpabunt: pedes habent et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.* q. d. Non est danda occasio gentibus blasphemandi: sed tamen, si forte dixerint: *Ubi est Deus eorum?* nos respondebimus *Deum nostrum esse in coelo*, idque testari mirabilia eius, quia *fecit quidquid voluit*. Sed contra dii eorum iacent in terra, et usque adeo nihil possunt facere, ut ne possint quidem exercere actiones membrorum, quae habere videntur.

16. *Similes illis fiant, qui faciunt ea: et omnes qui confidunt in eis.* Haec praedictio est per modum imprecationis pronuntiata more prophetico. Vere enim, qui faciunt idola, et qui confidunt in eis,

similes illis fient in vita futura post resurrectionem; nam etiamsi habebunt sensus, tamen sic habebunt, quasi non haberent, imo etiam cupient non habere.

17. *Domus Israël speravit in Domino: adiutor eorum et protector eorum est.* 18. *Domus Aaron speravit in Domino: adiutor eorum et protector eorum est.* 19. *Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adiutor eorum et protector eorum est.* Quia dixerat: *Similes illis fiant qui confidunt in eis*, adiungit per antithesin, filios Israël *confidisse in Domino*, et ideo habuisse *Deum protectorem*. Nominat primo *domum Israël*, id est, totam gentem hebraicam; deinde *domum Aaronis*, id est, tribum sacerdotalem; addit postremo omnes *timentes Deum*, quoniam non deerant aliqui extra filios Israël, qui Deum colerent et timerent: quales erant Iob et amici eius, et postea Naaman Syrus et alii.

20. *Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis.* 21. *Benedixit domui Israël, benedixit domui Aaron.* 22. *Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum maioribus.* Confirmat quod dixerat, *Deum adiutorem et protectorem esse sperantium in se.* *Memor, inquit, fuit nostri*, id est, singulari providentia demonstravit, se *memorem esse nostri, et benedixit nobis*, id est, benefecit nobis adiuvando et protegendo: explicat autem quid sit *illud nobis*, cum addit: *Benedixit domui Israël, etc.*

23. *Adiiciat Dominus super vos: super vos, et super filios vestros.* 24. *Benedicti vos a Domino, qui fecit coelum et terram.* Iam conversus ad timentes Deum, quibus dixit, Deum *benedixisse* ait: *Adiiciat Dominus super vos benedictionem suam*, id est, omnium bonorum copiam; nec solum *super vos*, sed etiam *super filios vestros*. Et hoc modo sitis vos *benedicti*, plena atque perfecta *benedictione a Do-*

mino, qui fecit coelum et terram, id est, ab eo, in cuius manu est ros coeli et pinguedo terrae. Solebant enim sancti V. T. precari suis a Domino rorem coeli et pinguedinem terrae.

25. *Coelum coeli Domino: terram autem dedit filiis hominum.* 26. *Non mortui laudabunt te, Domine: neque omnes qui descendunt in infernum.* 27. *Sed nos qui vivimus benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in saeculum.* Iam docet aequum esse, ut ii qui benedicti sunt a Domino, benedicant ipsi quoque Dominum, dum vivunt super terram; relinquentes interim angelis officium benedicendi in coelo, ubi est domicilium Dei et ministrorum eius, qui illi coram assistant. *Coelum coeli Domino*, id est, *summum coelum*, quod est super coelum aëreum, *Domino* proprie dicatum est, et familiaribus ministris eius, angelis sanctis, a quibus benedicitur: *terram autem dedit filiis hominum* habitandam, ac pro hoc beneficio debent *filiis hominum* Deo assidue gratias agere, dum vivunt, ac bonis terrae fruuntur. Nam *non mortui laudabunt te Domine: mortui* enim, cum non amplius fruuntur bonis terrenis, imo nec vivunt secundum corpus, non laudant Dominum ore corporali: neque illi qui descendunt in infernum, id est, spiritus mortuorum, qui descendunt in varias inferni regiones, Dominum benedicent pro terrenis bonis, quae ad illos iam non pertinent. *Sed nos qui vivimus in terris benedicimus Domino, ex hoc nunc et usque in saeculum*, id est, per generationes sibi invicem succedentes.

PSALMUS CXIV.

Synopsis

Bellarminus cum SS. PP. Basilio, Chrysostomo, Hieronymo et Augustino existimat hunc psalmum intelligendum esse de homine spirituali sitiente salutem aeternam, et gemente propter tentationes et pericula. Alii exponunt de temporali aliqua pressura, a qua Prophetia liberari cupit. Titulus est: Alleluia.

1. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meae.* Ad vocem *dilexi* subintelligitur Deum, et sensus est: *Dilexi* Dominum, quoniam benignus et misericors est, et ex naturali sua benignitate *exaudiet vocem orationis meae.*

2. *Quia inclinavit aurem suam mihi; et in diebus meis invocabo.* Declarat unde didicerit Deum exauditurum preces suas, *quia inclinavit aurem suam mihi*: quorsum enim *inclinaret ad me aurem suam*, nisi me audire paratus esset: unde subiungit: *et in diebus meis invocabo* Dominum. S. Chrysostomus per illud *in diebus meis* intelligit omnibus diebus vitae meae. S. Augustinus intelligit per *dies meos, dies* huius mortalitatis, qui proprie *dies nostri* dicuntur.

3. *Circumdederunt me dolores mortis: et pericula inferni invenerunt me.* Explicat nunc materiam suae orationis, quae sunt tentationes et pericula salutis aeternae. *Circumdederunt me dolores mortis*, id est, undique tentationes mortiferae me *circumstant*; dicuntur *dolores mortis*, quia ex illis viri pii *dolorem* concipiunt, qualis est in illis, qui *mortem* vident sibi imminere: declarat paulo apertius, dum addit: *et pericula inferni invenerunt me.*

De doloribus mortis et inferni etiam videri potest psalmi xvii v. 5 et 6.

4. *Tribulationem et dolorem inveni; et nomen Domini invocavi.* q. d. Bene adverti me circumdatum esse funibus et doloribus mortis et periculis inferni expositum, et ideo *tribulationem et dolorem inveni*, ac ad *Dominum* clamavi.

5. *O Domine, libera animam meam: misericors Dominus et iustus, et Deus noster miseretur.* Nunc subiicit ipsa verba invocationis: *o Domine, libera animam meam*, nimirum de doloribus mortis et periculis inferni. Deinde ut ostendat se bona spe invocasse Dominum, addit quasi rationem *misericors Dominus, etc.*, quia praevenit peccatorem gratia sua, dum ei poenitentiam et orationem inspirat. *Iustus* etiam est, quia non sine flagello dimittit, et tandem *Deus noster miseretur*, quia recipit quem flagellavit, et non solum peccata dimittit, sed haeredem facit.

6. *Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum et liberavit me.* Miseretur Dominus, ut ante dixit, sed praecipue *parvulis* timentibus eum, quare dicit: *Dominus* ex paterna miseratione *custodiens* est *parvulos* suos, id est, mites et humiles, ac timentes Deum filiali timore. Et quoniam David se unum ex illis esse sperat, addit: *humiliatus sum*, id est, ex his *parvulis* esse studui, et tandem concludit: *liberavit me*, quod de liberatione in spe intelligi debet, inquit Bellarminus.

7. *Convertere, anima mea, in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi;* q. d. Sentio me Dei misericordia exauditum esse: itaque, *anima mea*, ex nimia perturbatione redi ad pristinam tranquillitatem, et coelum tibi apertum intueri, in quo per totam aeternitatem quiescas: Deus enim *benefecit tibi*,

gratia cumulando et hostes amovendo. Ita Tirinus et Le Blanc.

8. *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.* Declarat quae sit illa quies, quam anima post quietem huius vitae expectat, ac dicit esse vitam beatam et sempiternam. *Quia eripuit animam meam de morte*, id est, *eripuit de morte*, et donavit vitam; *oculos meos a lacrymis*, id est, vitam non subiectam ulli malo: *Absterget enim Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, Apoc. xxi. *Et pedes meos a lapsu*, id est, dabit vitam non solum felicem, sed etiam securam ac sempiternam, ut ab ea excidere nunquam possim.

9. *Placebo Domino in regione vivorum.* Concludit psalmum dicens: *Placebo*, id est, conabor, et modis omnibus studebo *placere Domino in regione vivorum*, id est, inter vivos, seu quoad vitam in hoc mundo; vel potius, ut s. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, Bellarminus, Le Blanc, volunt, in coelo, ut sensus sit: A Deo in coelestem requiem et immortalium regionem translatus, ibi gloria circumfusus, ei gratus et acceptus semper existam.

PSALMUS CXV.

Synopsis

Eiusdem fere argumenti est cum psalmo praecedente: agit Propheta Deo gratias, et vota se persolutorum pollicetur pro salute aeterna, quam bona spe iam possidere coepit. Titulus est: Alleluia.

1. *Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.* Videtur respicere ad verba illa: *Placebo Domino in regione vivorum*: et quasi

aliquis interrogasset, unde nosset regionem vivorum? respondet se nosse per spiritum fidei. *Credidi*, inquit, esse regionem vivorum, licet ea oculis non videatur, et propter hanc fidem dixi: *Placebo Domino*, etc. Citavit hunc locum s. Paulus II. Corinth. IV, ubi apostolus docet ex spiritu fidei cognosci veram viventium regionem, in qua cum Iesu constituendi sumus. Et quoniam haec fides requirit animam vere *humilem*, subiungit propheta: *Ego autem humiliatus sum nimis*, id est, ego vero *credidi*, quia non ingenio meo nitor, sed valde *humilem* ac docilem me s. Spiritui praestiti.

2. *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax*. Sensus est: *Ego*, qui humiliavi me valde, exaltatus a Domino ad mentis *excessum*, in eo *excessu* videns, quam falsa et fallacia sint, quae videntur hominibus vera et solida bona, dixi: *Omnis homo mendax*, id est, *omnis homo* qui humano affectu loquitur de felicitate, et magni aestimat bona mortalia et caduca, *mendax* est: vera enim et stabilia bona non inveniuntur, nisi in regione vivorum. Ita Euthymius.

3. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quae retribuit mihi?* Animadvertens tantis se bonis cumulatum, cum et regionem vivorum Dei beneficio agnoverit, et in eam se ingressurum sperare coeperit, imo ac si iam ingressus esset, prae laetitia exultans quaerit, *quid Domino retribuere possit?* Quod autem dicit *retribuit mihi*, potest simpliciter accipi pro *tribuit*. Ita Euthymius.

4. *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo*. Ss. Patres magno consensu hunc locum de *calice* patientiae et passionis intelligunt. Dicit igitur vir iustus: Cum nihil habeam praestantius, quod offeram Deo meo pro bonis mihi collatis, *calicem*

salutaris accipiam, id est, bibam libenti animo *calicem* Domini quantumvis amarum: scio enim *calicem* hunc amarum quidem, sed *salutarem* futurum. Et quia de meis viribus non confido, ideo *nomen Domini invocabo*: ut det mihi *calicem* suum intrepide haurire. Hic allegorice significatur *calix* Eucharistiae.

5. *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Paratus ad calicem passionis bibendum dicit: Sacrificium laudis et confessionis Domini, *coram omni populo eius*, inimicis etiam praesentibus immolabo, nullas personas, nulla tormenta, nec mortem ipsam veritus. Scio enim, *mortem sanctorum* magno in pretio apud Deum esse, felicesque eos esse, qui ipsius causa sanguinem fuderint. Ita Bellarminus, Le Blanc, et alii. Expendit hinc s. Basilius gloriam martyrum, quorum non solum animae mox coronantur in coelis, sed etiam reliquiae corporum magno in pretio habentur in terris.

6. *O Domine, quia ego servus tuus, et filius ancillae tuae*, q. d. *O Domine*, quid magnum facio, si vota mea publice reddo, neque ob timorem mortis confessionem tuam omitto, quod facere debeo, *quia ego servus tuus sum; ego*, inquam, *servus tuus sum, et filius sum ancillae tuae*, id est non emptitius tantum, sed et vernaculus, quia et mater mea *ancilla tua* est, duplici nomine, et creationis et redemptionis. Dicit autem *filius ancillae tuae*, non servi tui, quia servitus sequitur ventrem. S. Augustinus per *ancillam* intelligit Ecclesiam, quae mater nostra est.

7. *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.* Ostendit se Domini servum esse, sed servitute bona, erutum autem a

servitute mala. *Dirupisti vincula mea*, id est, liberasti a servitute durissima, et servum tuum esse voluisti, cui servire regnare est. Ideo *tibi sacrificabo hostiam laudis*, et non amplius *invocabo* falsos deos, mammonam, ventrem, opes, honores, quibus antea serviebam: sed *nomen Domini*, qui solus verus est Deus, assidue *invocabo*.

8. *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius: in atriis domus Domini, in medio tui, Ierusalem.* Est repetitio vers. 5. Additur autem *in atriis domus Domini, in medio tui, Ierusalem*, ad significandum debere servum Dei vota, confessionem suam, et seipsum offerre Deo in ecclesia, quae per *Ierusalem* significatur: qui enim extra veram Ecclesiam id faciunt, nihil faciunt. Ita s. Augustinus. Alii cum Bellarmino et Thoma, Le Blanc, hunc versum referunt ad *Ierusalem* coelestem.

PSALMUS CXVI.

Synopsis

Invitat omnes, etiam gentes, ad laudandum Deum, ob exhibitum orbi Messiam seu Redemptorem. Titulus est: Alleluia.

1. *Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.* Ecclesiam totam alloquitur, et ad *laudandum* Dominum hortatur: intelligit autem per *gentes*, gentiles ad fidem conversos, per *populos* intelligit iudaeos similiter ad fidem conversos. Ita s. Hieronymus, et alii.

2. *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: et veritas Domini manet in aeternum.* Ratio laudandi Deum est, *quoniam misericordia Domini*

stabilita est, nempe misso in orbem Christo, ut explicat s. Paulus Rom. xv, v. 11. Nec solum *miseri- cordia confirmata est*, sed etiam *veritas promissionum adimpleta in aeternum* amplius non mutabitur.

PSALMUS CXVII.

Synopsis

Psalmum hunc de ipso Davide exponit S. Chrysostomus; convenit tamen etiam toti populo Christiano, cuius figuram David gessit, ita S. Augustinus. Canit autem tum David, tum populus Dei multa beneficia eius. Titulus: Alleluia.

1. *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.* Invitat David omnes ad laudandum Deum, et rationem dat: *quoniam bonus*; addit, *quoniam in saeculum misericordia eius*, ut ostendat ab effecta, Deum esse *bonum*, ac per hoc laudabilem; nam *bonitas* Dei nulla in re magis cognosci potest a miseris, quam in *miseriordia*.

2. *Dicat nunc Israël, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.* 3. *Dicat nunc domus Aaron: quoniam in saeculum misericordia eius.* 4. *Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in saeculum misericordia eius.* Explicat qui sint quos invitaverat ad laudandum Deum, et nominat primo populum *israëliticum*, quia inde fuerunt apostoli, qui primo crediderunt. Secundo nominat *domum Aaron*, quia post apostolos magna turba sacerdotum *obedire coepit fidei*. Act. vi. Denique addit omnes *qui timent Dominum*, quales fuerunt omnes gentiles, qui crediderunt: adeoque totam Ecclesiam invitatur ad laudandum Deum.

5. *De tribulatione invocari Dominum: et exaudivit me in latitudine Dominus.* Incipit declarare materiam laudis divinae, quod in angustia positus cum esset, *invocavit Dominum*, et ipse continuo *exaudiens*, posuit illum *in latitudine*: q. d. ex magnis angustiis eduxit me Deus in *latum* campum libertatis. Id Davidem de sua persona dicere potuisse, et idem etiam Ecclesiae convenire notum est.

6. *Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.* 7. *Dominus mihi adiutor: et ego despiciam inimicos meos.* Experimento proprio doctus David, sive populus Dei, magna fiducia exultat, et dicit: *Dominus est mihi adiutor*, etc., non turbabor propter mala, quae mihi infert *homo*: quia *Dominus* omnia convertet in bonum, etc.

8. *Bonum est confidere in Domino, magis quam confidere in homine.* 9. *Bonum est sperare in Domino, magis quam sperare in principibus.* Deducit ex dictis utilem admonitionem de *spe* collocanda in *Deo*, non in *hominibus* quantumvis potentibus. Quia *hominis* etiam principis utut potentissimi et liberalissimi, vel fortuna, vel voluntas, vel vita mutari potest: Deus autem per omnia immutabilis est, inquit Theodoretus et Genebrardus.

10. *Omnes gentes circuierunt me: et in nomine Domini quia ultus sum in eos.* 11. *Circumdantes circumdederunt me: et in nomine Domini quia ultus sum in eos.* 12. *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis: et in nomine Domini quia ultus sum in eos.* Ostendit exemplo suo quam bonum sit confidere in Domino, cum ipse non semel, sed saepius obsessus a magna multitudine hostium, Dei adiutorio ita liberatus fuerit, ut hostes suos prostratos viderit. Illud *quia*, et illud

in posita sunt ex phrasi hebraica, et in latino o-mitti possunt, uti et in graeco omittuntur, scilicet; omnes gentes, id est, tota fere multitudo gentium circuierunt et circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eas, vel ut in Hebraeo habetur, eos, id est, in virtute Dei vidi ultionem, quia Deus ultus est innocentiam meam, dum hostes prostravit atque delevit: idem deinde repetit, et ut multitudinem ac vehementiam hostium ostendat, utitur similitudinibus, nam apes in magna copia circumdant favum, et ignis magno impetu corripit spinas aridas.

13. *Impulsus, eversus sum ut caderem: et Dominus suscepit me.* 14. *Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem, q. d. Ego tantae violentiae hostium resistere non poteram; ideo ab hostibus impulsus in ruinam iam eversus ruere coeperam, sed Dominus in tempore occurrens sustentavit me, adeoque non meis viribus, sed Dei gratia vici; Dominus enim fortitudo mea, et ipse idem est laus mea, quia semper eum laudare debeo, et ipse factus est mihi in salutem, sive salvator meus fuit.*

15. *Vox exultationis et salutis, in tabernaculis iustorum.* Ex hac liberatione Davidis, et multo magis ex liberatione populi christiani de ingenti persecutione orta est ubique inter iustos vox exultationis et salutis, id est, vox gratulationis, et gratiarum actionis pro salute et parta victoria. Ita s. Augustinus.

16. *Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.* Haec est vox exultationis et salutis, quae resonat in tabernaculis iustorum, quod dextera Domini operata est fortiter ac potenter. Et in hoc dextera

Domini fecit virtutem, quod depressit inimicos meos, et exaltavit me: sive id de Davide, sive de populo Dei intelligatur. Dextera Domini fecit virtutem, id repetitur laetitiae causa.

17. *Non moriar, sed vivam: et narrabo opera Domini.* 18. *Castigans castigavit me Dominus: et morti non tradidit me, q. d. Quantumvis magnas persecutiones passus sim, et forte iterum patiar; tamen non moriar, sed vivam, sive non exterminabor, non omnino deficiam, ut adversarii vellent: sed permanebo, et narrabo opera Domini, qui castigans castigavit me paterno flagello, et morti non tradidit me.*

19. *Aperite mihi portas iustitiae: ingressus in eas confitebor Domino; haec porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Ex acceptis his beneficiis sumit animum aspirandi ad maiora, ac petit introduci tandem in coelestem Ierusalem. *Aperite, inquit, o vos angeli, ut habet Le Blanc, aperite mihi portas iustitiae, id est, portas regni coelorum, quae ex iustitia constant: porta enim gloriae iustitia est: et ingressus in eas vobiscum laudabo Dominum. Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam, id est, haec porta iustitiae est vera et unica porta quae ducit ad Dominum, et ideo iusti soli intrabunt in eam.* Ita s. Augustinus, s. Chrysostomus, s. Hieronymus, Bellarminus, et Le Blanc.

20. *Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.* Declarat quod dixit: *Ingressus in eas confitebor Domino; dicit enim: Tunc tibi, o Deus, gratias aeternas persolvam, quod me in summis angustiis exaudieris atque salvaveris.*

21. *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* 22. *A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris.* Postquam

David in persona sua, et populi Dei decantasset liberationem a temporalibus malis, et petiisset introitum in aeternam salutem; declarat nunc quomodo Deus ad hanc aperuerit viam, inquires: *Lapidem quem reprobaverunt*, etc., id est, misit Deus lapidem vivum, pretiosum, electum in terras; sed iudaei, ad quos tunc pertinebat officium *aedificandae* Ecclesiae, hunc *lapidem reprobaverunt*: sed hic idem lapis a Deo principali architecto *factus est in caput anguli*, id est, constitutus est super duos parietes, ut eos coniungeret, scilicet factus est *caput* totius Ecclesiae ex hebraeis et gentibus congregatae, et tale *caput*, ut omnis qui sub ipso tanquam *lapis* vivus *aedificatur*, omnino salvandus sit. Atque hoc a Domino factum est, id est, electione et potestate divina, non consilio, vel ope humana, et ideo *mirabile est in oculis nostris*. Quis enim non miretur, hominem crucifixum, *caput* et principem declarari omnium hominum et angelorum: ac per eum aditum pateferi mortalibus ad beatam immortalitatem?

23. *Haec est dies, quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea*. Scilicet *haec dies*, qua id factum est, ut Christus declararetur summus angularis lapis, est proprie dies, *quam fecit Dominus*, et ideo ob tantum beneficium *exultemus et laetemur in ea*. *Haec* autem sine dubio est dies Resurrectionis dominicae: et ideo Ecclesia haec verba Resurrectioni applicat, et per octavam Paschae frequentissime cum iubilo canit.

24. *O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare: Benedictus qui venit in nomine Domini*. Sicut propheta praevидit et praedixit Christum ut lapidem reprobandum tempore passionis, et postea a Deo exaltandum in caput anguli tempore Resur-

rectionis: ita praevidit et praedixit ipsa verba, quae turbae dicturae erant in die triumphi Christi in die Palmarum, quo significaretur triumphus Resurrectionis. Ait igitur: Exultemus et laetemur in hac die, dicentes: *O Domine, salvum me fac*; in Hebraeo est: *Hosanna*, id est, *salva, obsecro: o Domine, bene prosperare*, nimirum in inchoato isto regno tuo, *benedictus qui venit in nomine Domini*, id est, *benedicatur ab omnibus Messias, rex noster*, missus auctoritate Dei.

25. *Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus et illuxit nobis.* 26. *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.* Explicata prophetia adventus Christi et triumphi eius, propheta exhortatur populum ad celebrandum *diem solemnem* in gratiarum actionem. Nos, prophetae, inquit, *benediximus vobis* populis fidelibus, qui *de domo Domini* estis, annuntiantes vobis mysteria divina in salutem vestram; eius autem quod annuntiavimus, summa est: *Deus Dominus, et illuxit nobis*, id est, *Dominus noster*, qui verus *Deus* est, et ipse *illuxit nobis*, ostendens nobis *lucem* miseriarum suarum. Propterea *constituite diem solemnem*: id est, celebrate *diem* hunc laetum et faustum, urbem, plateas, et prae omnibus atria templi *usque ad cornu altaris*, ornantes *densis frondibus, ramis et coronis*. Ita in Hebraeo et s. Hieronymus. Et sic factum Christo in die Palmarum.

27. *Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te.* 28. *Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem.* 29. *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.* Haec est repetitio dictorum, affectum prophetae demonstrans.

PSALMUS CXVIII.

Synopsis

Hic psalmus est totus moralis, et hortatorius ad vitam secundum legem Domini instituendam: et ea causa est, cur quotidie ab Ecclesia frequentetur. Porro ut legem divinam altius mentibus nostris infigat Propheta eam singulis pene versibus, qui sunt 176, nominat, sed variato nomine: nunc enim vocat testamentum, nunc testimonia, nunc iudicium, iustitiam, aequitatem, iustificationem, verbum, eloquium, sermonem, ordinationem, praeceptum, mandatum: nunc viam, semitam, veritatem, etc. Caeterum valde elegans psalmus est ob artificium alphabeticum: siquidem primi octo versus incipiunt singuli a prima littera alphabeti, sequentes octo a secunda, et sic deinceps. Titulus est: Alleluia.

ALEPH.

1. *Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.* 2. *Beati, qui scrutantur testimonia eius; in toto corde exquirunt eum.* Primum argumentum ad persuadendam divinae legis observantiam, propheta ducit a beatitudine. *Beati* sunt, qui in via huius vitae non inquinantur sordibus peccatorum, tales autem sunt, qui dimissis aliis viis eligunt viam legis Domini: oportet autem, si quis vere beatus esse velit, ut scrutetur testimonia Domini, id est, consideret diligenter sensum totius legis, quod ille facit, qui serio et toto corde quaerit.

3. *Non enim qui operantur iniquitatem in viis eius ambulaverunt.* Probat quod dixerat, eos esse immaculatos, qui ambulant in lege Domini; quoniam nullus eorum, qui operantur iniquitatem, ac

per hoc inquinati inveniuntur, in viis, id est, in lege Domini ambulavit.

4. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Alterum argumentum ducit propheta ab excellentia legislatoris, q. d. Haec mandata non sunt mandata hominum, sed Dei, et Dei qui omnino vult a servis suis debitam obedientiam.

5. *Utinam dirigantur viae meae, ad custodiendas iustificationes tuas!* Ex auctoritate tanti legislatoris, et tam severe iubentis, motus propheta, optat in omnibus quam diligentissime mandata Dei servare. Sed hoc proponit in persona sua, ut exemplo suo persuadeat omnibus observantiam legis.

6. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis,* q. d. Opto dirigere vias meas ad custodiendas iustificationes Domini, quia tunc non confundar, neque erit cur erubescam coram te, Domine, cum perspexero, etc., id est, cum respexero in omnibus actionibus meis ad regulam mandatorum tuorum, ut rectitudini eius conformem illas.

7. *Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iustitiae tuae.* Q. d. Non solum non confundar, sed etiam laudabo te, et gratias agam tibi in directione cordis, id est, recto corde: confitebor autem laudes tuas in eo, quod adiuvante gratia tua didici iudicia iustitiae tuae, id est, iustissimas leges tuas.

8. *Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.* Haec est conclusio primi octonarii: q. d. Igitur, cum lex tua custodita faciat beatos, et a te summo legislatore severissime observari mandata sit: ego illam omnibus viribus custodire statui, sed tu quoque vicissim non me deseras auxilio et gratia tua, sine qua nihil possum.

BETH.

9. *In quo corrigit adolescentior viam suam? In custodiendo sermones tuos.* Nunc laudat Dei legem ab utilitate; quaerit ergo: *In quo*, id est, qua arte, quomodo, quo remedio *corrigit adolescentior viam suam?* Q. d. Quid est, quod puerum, adolescentem, iuvenem, alioquin effraenem et indomitum coërcet, auget, ac dirigit: ita Theodoretus. Et respondet: *In custodiendo sermones tuos*, id est, *corrigit* per legem divinam, si eam diligenter *custodiat*.

10. *In toto corde meo exquisivi te: ne repellas me a mandatis tuis.* Ex hac tanta utilitate motus David rursus proponit *mandata* accurate servare, quod significat: *in toto corde*, etc., et deinde petit a Deo gratiam illa servandi, quod significat: *ne repellas me*, etc.

11. *In toto corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.* 12. *Benedictus es, Domine: doce me iustificationes tuas.* Addit rationem, cur legis implendae gratiam petens exaudiri debeat: ratio autem est desiderium magnum non peccandi, ac per hoc legem custodiendi. *In toto corde meo*, etc., id est, in intimo recessu *cordis mei* posui legem tuam, idque eo fine, ut nunquam eius obliviscar, et ne sic *peccem*. Postea petitionem repetit: *Benedictus es, Domine*, q. d. tu, *Domine, doce me iustificationes tuas*, qui ab omnibus rebus creatis *benediceris*, quia imples omnia *benedictione*. Illud *doce*, non significat simplicem notitiam, sed significat gratiam implendae legis.

13. *In labiis meis pronuntiavi omnia iudicia oris tui.* 14. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* 15. *In mandatis tuis exercebor: et considerabo vias tuas.* 16. *In iu-*

stificationibus tuis meditabor : non obliviscar sermones tuos. In his quatuor versibus declarat amorem suum erga legem Domini : quia fortasse mox benedictionem legislatoris acceperat , quam paulo ante petierat. Dicit enim se habere legem Dei in ore, in voluntate, in intellectu, in memoria, ac per hoc in omnibus partibus animae. Illud *pronuntiavi* vertit s. Hieronymus : *narravi.*

GIMEL.

17. *Retribuere servo tuo , vivifica me : et custodiam sermones tuos.* In hoc octonario enumerat impedimenta legis *custodiendae*, et orat, ut a se removeantur. Primum est mors animae : homines enim in peccato mortui non possunt servare mandata , ut ad vitam aeternam conducant. *Retribuere servo tuo , vivifica me, etc.*, id est, si forte in peccatis mortuus sit servus tuus , restitue ei *vitam* animae, vel, ut s. Hieronymus et Chaldaeus, *tribue ut vivat* : et tunc *sermones tuos custodire* poterit.

18. *Revela oculos meos : et considerabo mirabilia de lege tua.* Alterum impedimentum sunt passiones animi : de hoc dicit : *Revela oculos meos*, id est : Tolle per infusionem luminis tui velamen passionum ab *oculis* mentis meae, et tunc *oculo* interiore purificato *considerabo mirabilem* aequitatem, *mirabilem* sententiam, et alia id genus *mirabilia legis tuae.*

19. *Incola ego sum in terra : non abscondas a me mandata tua.* Tertium impedimentum est *terrena peregrinatio* ; petit igitur advena et peregrinus , ut Deus illi viam bonam ostendat, ac dicit : *Non abscondas a me mandata tua*, id est, fac ut me nunquam lateat *via mandatorum tuorum*, quae sola est recta via quae ducit ad patriam.

20. *Concupivit anima mea desiderare iustificatio-*

nes tuas in omni tempore. Quartum impedimentum est imperfectio, qua multi laborant, dum bonis quidem desideriiis tanguntur, sed ultra non proficiunt. In horum persona dicit David: *Concupivit anima mea, etc.*, non potuit dicere, *concupivit anima mea implere mandata tua*; sed imperfectionem suam confessus, ait, *concupivi desiderare*; et haec ipsa confessio imperfectionis est petitio perfectionis, quam Deus concedit, cum facit hominem ardentem *desiderare custodiam mandatorum.*

21. *Increpasti superbos: maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Quintum impedimentum omnium maximum *superbia* est: sed hoc in se David non agnoscebat; ideo simpliciter illud execratur. *Increpasti*, id est, severe punivisti, imo perdidisti *superbos* contemptores legum tuarum: ideo subiungit, *maledicti, qui potissimum ex superbia et contemptu declinant a mandatis tuis.*

22. *Aufer a me opprobrium et contemptum, quia testimonia tua exquisivi.* 23. *Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur; servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.* Sextum impedimentum implendae legis est respectus humanus, ideo videtur orare: *Aufer a me*, id est, da gratiam, ut non curem, sed *contemnam* quodvis *opprobrium et contemptum*, quem ab aliis sustinere debeo, *quia testimonia tua exquisivi*: scio enim, quod etiam *principes* ac *magnates* legum tuarum *contemptores sederunt; et adversum me loquebantur* exprobrantes obedientiam mandatorum Dei: ego autem *servus tuus* hactenus non respiciens ad *minas, opprobria, vel contemptum* eorum, exercebar *in iustificationibus tuis*, videlicet considerandis, praedicandis, et adimplendis; da ergo gratiam id et imposterum praestandi.

24. *Nam et testimonia tua meditatio mea est : et consilium meum iustificationes tuae.* Explicat quod dixit: *Exercebar in iustificationibus tuis, nam et testimonia tua meditatio mea est*, id est: Lex tua est mihi dulcis *exercitatio*, unde consolationem accipio in rebus tristibus, et *iustificationes tuae*, sive eadem lex tua est *consilium meum*, in rebus dubiis, id est, leges tuae sunt mihi a *consiliis*, illas in dubiis *consulo*. Ita fere s. Hieronymus, et Chaldaeus, Bellarminus, Tirinus, L  Blanc.

DALETH.

25. *Adhaesit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.* Loquitur in persona hominis imperfecti, et ait: *Adhaesit pavimento*, id est, *adhaesit terrae*, hoc est, terrenae substantiae per amoris affectum *anima mea : vivifica me secundum verbum tuum*, id est, da mihi *vitam* conformem legi tuae.

26. *Vias meas enuntiavi, et exaudisti me : doce me iustificationes tuas.* Pergit in confessione miseriae, et petitione gratiae. *Vias meas*, id est, actiones malas, quae propriae meae sunt, non erubui confiteri, sed palam *enuntiavi*, et tu *exaudisti me* parcens mihi: nunc reconciliatus peto, ut *doceas me iustificationes tuas*, id est, praecepta tua servare me facias.

27. *Viam iustificationum tuarum instrue me : et exercebor in mirabilibus tuis.* Precibus instat ut doceatur a Deo, quomodo ambulare debeat *in via* mandatorum eius, et *exercebor in mirabilibus tuis*, id est, in schola tua edoctus *exercebor* in custodiendis praeceptis, quae *mirabilia* sunt.

28. *Dormitavit anima mea prae tedio : confirma me in verbis tuis.* Iterum redit ad infirmitatem car-

nis confitendam, et misericordiam postulandam. *Dormitavit anima mea prae taedio*, dum videlicet *taedet* ambulare viam laboriosam, carne concupiscente adversus spiritum. *Confirma me in verbis tuis*, sive praeceptis sectandis, addito fervore gratiae tuae.

29. *Viam iniquitatis amove a me: et de lege tua miserere mei*. Id est, fac per gratiam tuam, ut longe recedam a *via iniquitatis*, id est, a *lege peccati*, et contra *de lege tua miserere mei*, id est, misericorditer operare, ut ambulem per *legem tuam*.

30. *Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus*. Hactenus confessus est miseriam, quam ex se habet: nunc declarat, quid possit ex misericordia Dei: q. d. Iam serio proposui *viam veritatis*, quae est *via* mandatorum tuorum, ambulare; et ex misericordia tua *iudicia tua*, sive legem tuam *non sum oblitus*, licet caro adversus spiritum vehementer concupisceret.

31. *Adhaesi testimoniis tuis, Domine: noli me confundere*. Ex me *adhaesi* pavimento; sed ex misericordia tua *adhaesi testimoniis tuis*, et quamvis carne serviam legi peccati, tamen mente servio legi tuae, et ideo *noli me confundere*, quod fieret si auxilio tuo me destitueres.

32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Ex me dormitavi prae taedio: sed ex misericordia tua *viam mandatorum tuorum cucurri*, id est, alacriter, expedite, cum delectatione legem tuam servavi, *cum dilatasti cor meum* per infusionem charitatis, quae facit iugum suave et onus leve.

II E.

33. *Legem pone mihi, Domine, viam iustificationum tuarum; et exquiram eam semper*. In hoc o-

ctonario iterum varia petit in ordine ad legem observandam; saepius enim rem eandem repetit: sed sub variis verborum formis ad excitandum affectum, et tollendum fastidium. Sensus huius versus est: Fac, Domine, ut nullam aliam legem velim, nisi legem tuam; sic fiet, ut in omni actione quaeram quid iubeat lex tua.

34. *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam; et custodiam illam in toto corde meo.* Petit intellectum, ut legem recte intelligat, et scrutari possit eius utilitates et praestantiam, idque ut custodiat illam in toto corde suo.

35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.* Postulat gratiam implendi legem: *Deduc me*, etc., id est, fac me implere mandata tua, id enim est incedere per *semitam mandatorum*. Ratio autem cur debeat exaudiri, est in illis verbis: *quia ipsam volui*, id est, quia hanc *semitam* elegi et per eam ambulare desidero.

36. *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* Id est, infunde cordi meo copiosam gratiam, per quam *inclinetur* in custodiam legis tuae, et non *inclines* cor meum in avaritiam, cuius affectus maxime impedit affectum erga legem Dei. Dicitur autem Deus *inclinare* aliquem in malum, quando deserendo gratia sua sinit illum *inclinari* in malum.

37. *Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.* Petit, ne oculi mentis *avertantur* a lege ad *vanitates*. In *via tua vivifica me*, id est, sed potius effice, ut totus intendam legi tuae, et sic in *via tua* ambularem conserva.

38. *Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.* Id est, fac, ut per sanctum *timorem tuum* *statuatur*, confirmetur, solidetur lex tua in *servo tuo*.

39. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus*

sum : quia iudicia tua iucunda. Petit perseverantiam in lege servanda, et addit velut rationem timorem opprobrii, quod in die iudicii sequetur non perseverantes: *Amputa opprobrium, quod suspicatus sum*, i. e. quod timui, si non perseverarem in lege tua, cum tam suavis, *iucunda* et utilis sit.

40. *Ecce concupivi mandata tua: in aequitate tua vivifica me.* Concludit petitiones huius octonarii, dicens iam satis patere, quod ex corde cupiat *mandata servare*: ideo *in aequitate tua*, id est, in ipsis *mandatis tuis*, sive in observatione *mandatorum vivifica me*, id est, auge, et conserva mihi *vitam spiritualem*.

VAU.

41. *Et veniat super me misericordia tua, Domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.* Petit propheta initio huius octonarii *misericordiam Dei*; ac deinceps declarat effectus huius *miseri cordiae*, qui potissimum pertinent ad legis divinae custodiam. Ait igitur: *Descendat ex alto gratia tua et misericordia super me*: iam declarat quae sit haec *miseri cordia, salutare tuum*, id est, *salus tua*, sive *miseri cordia* sanans animam *secundum eloquium tuum*, quo promisisti *miseri cordiam* et *salutem* sperantibus in te.

Hic observandum est, quod in hoc octonario ad singulos versus addatur *et*, quoniam debent omnes versus incipere per *Vau*, et per hanc litteram nulla fere vocabula incipiunt, excepta particula conjunctiva *et*; adeoque hoc *et* tantum additur ornatus gratia, uti etiam alias saepius.

42. *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis.* Cum venerit super me *miseri cordia tua*, non timebo adversarios *exprobrantes* mihi, quod frustra Deum timeam; nam

respondebo illis verbum verum, quod videlicet speraverim in sermonibus tuis, qui promissa tua et potes, et vis servare.

43. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: quia in iudiciis tuis supersperavi.* Oro autem, ut hoc *verbum veritatis*, quo gloriator adversus exprobrantes mihi, *non auferas de ore meo*, id est, non efficias, me unquam destituendo gratia tua, ut non audeam hoc *verbum* loqui. *Quia in iudiciis tuis supersperavi*, id est, quia in tua iustitia et fidelitate multum omnino *speravi*.

44. *Et custodiam legem tuam semper, in saeculum et in saeculum saeculi.* Hic iam subiicit effectum misericordiae sanantis animam; qui est perpetua legis divinae custodia.

45. *Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisivi.* 46. *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum: et non confundebam.* 47. *Et meditabar in mandatis tuis quae dilexi.* 48. *Et levavi manus meas ad mandata tua, quae dilexi: et exercebar in iustificationibus tuis.* His versibus explicat per partes, quae sit perpetua legis custodia, quam promisit in versu 44, dicens se corde, verbo, mente et opere in lege Domini semper futurum. *Et ambulabam in latitudine* dilectionis, id est, veniente misericordia Domini super me, cum magno affectu cordis iam servabam legem, *quia illam exquisivi*, ut rem valde amatam. *Et loquebar sine timore de iustitia sanctissimae legis, etiam coram regibus iniquis, et non confundebam*; et assidue cum animo meo de ipsa lege cogitabam: *et levavi manus meas ad implenda mandata sublimia et excelsa, id est, valde perfecta, quae dilexi*; denique his omnibus modis, scilicet corde, mente, verbo et opere *exercebar in iustificationibus tuis.*

ZAIN.

In hoc octonario canit Propheta retributionem quam Deus legem servantibus promisit: simulque se de iniquorum praevaricatione doluisse dicit.

49. *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Orat David in sua et aliorum persona dicens: *Memor esto promissi tui servo tuo Abraham, et in illo omnibus filiis eius legem tuam servantibus facti, Gen. xvii, in quo mihi spem dedisti.*

50. *Haec me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me.* Sensus est: Haec res me *consolatione* affecit in afflictione et despectione mea, quia *eloquium tuum*, sive promissio tua, *vitam* et spiritum mihi tribuit, vel roboravit et auxit.

51. *Superbi inique agebant usquequaque: a lege autem tua non declinavi.* Vita et vigor, quem mihi tribuit promissio tua, in causa fuit ut non *declinarem a lege tua*, etiamsi *superbi* irrisores *inique* agerent valde, cum me irrisionibus suis (ut habetur in hebraeo) a legis custodia avertere conarentur.

52. *Memor fui iudiciorum tuorum a saeculo, Domine; et consolatus sum.* Sensus est: In humilitate et irrisionibus *memor fui iudiciorum*, quae ab initio *saeculi* exercuisti, exaltans humiles, et superbos deprimens, reddens custodientibus legem tuam praemia, et praevaricantibus supplicia: et hinc accepi in omni tribulatione mea *solatium*.

53. *Defectio tenuit me, pro peccatoribus dereliquentibus legem tuam.* Id est, eadem illa spes tantae mercedis fecit ut usque ad *animi deliquium* misererem hominum *peccatorum*, qui *dereliquentes legem tuam* tanto bono privantur.

54. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuae, in loco peregrinationis meae.* Iniqui legem derelique-

runt, quia insuavem esse iudicant; mihi autem scienti, quanta merces posita sit custodientibus legem tuam, illa usque adeo dulcis et suavis erat, ut in hac peregrinatione, qua *pregrinamur* a patria, dulce canticum fuerit.

55. *Memor fui nocte nominis tui, Domine: et custodiri legem tuam.* Illa beata spes tantae promissionis non solum interdiu, sed etiam noctu mihi nomen tuum in memoriam revocabat; et ex affectu nominis tui, i. e., ex ardenti amore tuo perseveravi in custodia legis tuae.

56. *Haec facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisivi.* Sensus est: Haec res omnis, vel hoc totum mihi evenit, nimirum ut promissiones Dei considerarem, et spem inde conciperem, et caetera bona, quae inde nata sunt, quia iustificationes tuas exquisivi.

¶ HETH.

57. *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam.* In hoc octonario ponitur initio haec propositio: *Dominus est portio mea*; inde deducitur desiderium legis diligenter custodiendae. *Portio mea, Domine*, subintelligitur, *tu es*, i. e. tu mihi, *Domine*, solus sufficis; et quia, ut te aliquando possideam, tibi soli placere cupio, ideo *dixi*, statui, firmiter proposui *custodire legem tuam*. Illi ss. patres Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et alii.

58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.* Dixit sibi proposuisse custodire legem Domini; sed quia sine adiutorio Dei vires humanae non sufficiunt, ideo *deprecatur faciem Domini*, etc., et dicit: *miserere mei secundum eloquium tuum*, id est, secun-

dum promissionem tuam, ut te adiuvante impleam, quod te inspirante decrevi.

59. *Cogitavi vias meas: et converti pedes meos in testimonia tua.* Non satis est Deum orare, sed oportet etiam cooperari auxilio Dei, ideo addit: *Cogitavi vias meas*, id est, consideravi actiones meas, an legi Dei conformes essent: *et converti pedes meos*, etc., id est, et *converti* affectus meos a lege carnis et peccati ad legem tuam, Domine.

60. *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Id est, nullum tempus me imparatum inveniet ad observandam legem, sed semper *paratus*, nunquam *turbatus sum*.

61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me: et legem tuam non sum oblitus.* Id est, non defuerunt tamen qui me perturbare, et retardare conarentur: nam retia et laquei variarum tentationum, quae *peccatores* homines vel daemones ponere solent, *circumplexi sunt me*: et tamen facere non potuerunt tentationes illae, ut *legis tuae* obliviscerer, et ab ipsa implenda retardarer.

62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustificationis tuae.* Quia tu es, Domine, portio mea, non solum interdiu, sed etiam *noctu*, imo etiam *media nocte* vacavi legi tuae considerandae: *surgebam enim media nocte* ad te laudandum super *iustissima* et *sapientissima* praecepta tua.

63. *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* Id est, a sceleratis refugiens, eorum in amicitiam me insinuo qui *te timentes mandata tua custodiunt*; ut ita *particeps* sim meritorum et communionis sanctorum.

64. *Misericordia tua, Domine, plena est terra: iustificationes tuas doce me.* Ego quidem *particeps*

sum omnium timentium te: sed *miseri cordiae tuae* participes sunt omnes qui habitant in *terra*. Proinde miserere mei, *ut doceas me iustificationes tuas*: haec enim summa miseria est, non scire legem tuam, ut sciunt, qui illam implent.

T E T H.

65. *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.* 66. *Bonitatem et disciplinam, et scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.* Antequam propheta a Deo petat dona necessaria ad custodienda praecepta Domini, utitur quasi prooemio, dicens: *Bonitatem fecisti*, etc., id est, suavitatem et *benignitatem* exhibuisti *servo tuo*, iuxta promissiones tuas. Sicut ergo *bonitatem* erga *servum tuum* ostendisti, ita rogo te, *ut doceas me*, eandem *bonitatem* sive *benignitatem* erga proximos meos, *et disciplinam*, id est, prudentiam *et scientiam*, scilicet practicam agendorum, qua sciam quid et quomodo sit agendum et cavendum, *quia mandatis tuis*, id est, quia *mandatorum* promissionibus *credidi*.

67. *Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodivi.* 68. *Bonus es tu: et in bonitate tua doce me iustificationes tuas.* Declarat necessitatem trium illorum donorum, q. d. se ex defectu horum *deliquisse*. *Priusquam humiliarer ego* per immissionem tribulationum, *deliqui* per ignorantiam, quia scientia carui. Sequitur: *Propterea attentius custodivi legem tuam*; deinceps: *et tu, qui bonus*, suavis et benignus *es, in hac tua bonitate doce me iustificationes tuas*, ut non amplius delinquam.

69. *Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor man-*

data tua. 70. *Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum.* Hic significatur necessitas alterius doni, scilicet prudentiae. *Multiplicata est, etc.* i. e., *superbi praevaricatores multiplicarunt super me mendacia sua, ut me ad transgressionem inducerent: unde prudentiae donum mihi necessarium fuit, quo dono adiutus in toto corde scrutabor mandata tua. Coagulatum est sicut lac cor eorum, id est, superbi illi induratum cor habent, sicut induratur caseus ex lacte coagulato confectus: scilicet obtuso sunt corde ad intelligendum sacra et divina, meae vero deliciae sunt lex tua.*

71. *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.* 72. *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.* Ex abundantia primi doni, quod iam consecutus erat, dicit: *Bonum mihi quia humiliasti me, etc.,* neque enim hoc dicere potest nisi homo vere *bonus.* Existimat enim is qui vere *bonus* est, magnum donum *humiliationem* ex tribulatione venientem, quoniam causa est custodiae legis, quae quantum sit *bonum* explicatur dum dicitur: *Bonum mihi est lex oris tui, etc.*

IOD.

73. *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me: da mihi intellectum, et discam mandata tua.* In hoc octonario multis novis argumentis poscit gratiam custodiendae legis. Primum sumit ab obedientia creatori debita. Potentia et sapientia tua, quasi duae *manus tuae fecerunt me* quoad animam, et *plasmaverunt me* quoad corpus: ideo cum totus tuus sim, debeamque tibi summam obedientiam, peto ut *des mihi intellectum, ut discam mandata tua, non ut solum sciam, sed et faciam.*

74. *Qui timent te videbunt me, et laetabuntur:*

quia in verba tua supersperavi. Haec est secunda ratio, quae sumitur ab aedificatione proximorum. *Qui timent te videbunt me scrutantem mandata tua, et laetabuntur, quia videbunt me, sperantem valde in promissis, quae continentur in lege tua.*

75. *Cognovi, Domine, quia aequitas iudicia tua; et in veritate tua humiliasti me.* Tertia ratio est a confessione propriae culpa. *Cognovi* quod *iudicia tua* iustissima sunt, et si quando *me humiliasti* destituens gratia tua, *in veritate*, id est, in iustitia tua fecisti, quia ita commerui: ideo non conqueror de tua iustitia, sed ad misericordiam tuam confugio et dico.

76. *Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.* *Consolatio*, quam petii, est gratia servandae legis.

77. *Veniant mihi miserationes tuae et vivam: quia lex tua meditatio mea est.* Explicat quae sit vera consolatio quam desiderat: *Veniant mihi*, etc. id est, miserere mei secundum multitudinem *miserationum tuarum*, ut acquiram veram *vitam*, quae sola est *vita* beata ac sempiterna. *Quia lex tua meditatio mea est*: decet autem ut tu, Deus, *misericorditer* respicias in eum, qui assidue *meditatur in lege tua*.

78. *Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.* Quarta ratio ad obtinendam gratiam servandae legis sumitur a confusione peccatorum. *Confundantur superbi*, etc., id est, da mihi gratiam perfecte custodiendi leges tuas, ut hinc *confundantur superbi* praevaricatores, qui vexando iniuste efficere conantur ut etiam alii praevaricentur: interim autem dum *confunduntur* illi, ego multo alacrius *exercebor* in implenda lege tua.

79. *Convertantur mihi timentes te, et qui noverrunt testimonia tua.* Hortatur pios, ut si qui sunt, qui a praevaricatoribus decepti, ad illos respicere coeperint, resipiscant. *Convertantur mihi*, id est, *convertantur ad me*, et mecum iuncti legem Dei custodiant *timentes te*, etc., id est, illi omnes qui timorem Dei et scientiam legis habent.

80. *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.* Concludit petens gratiam saepius postulatam, qua *corde* puro mandata divina custodiat, ut neque in hoc saeculo, neque in futuro iudicio *confusionis* opprobrium timeat.

CAPH.

81. *Defecit in salutare tuum anima mea: et in verbum tuum supersperavi.* In his versibus induit David personam cupientis servare mandata, et tamen inter tentationes graviter laborantis. *Anima mea* iam pene *defecit in salutare tuum*, id est, prae magno desiderio *salutis* a te *speratae*, et ego valde *speravi* semper in *verbum* promissionis tuae.

82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?* q. d. Interiores *oculi* mentis meae attendendo auxilium promissum *defecerunt* prae expectatione, et *defectum* suum explicant dicentes: Quando veniet perfecta *consolatio?* et sensus est: *Quando consolaberis* animam meam, cuius *oculi* attendendo et expectando *deficiunt?*

83. *Quia factus sum sicut uter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.* Id est, non sine causa dico, quando *consolaberis me?* quia prae desolatione et angustiis tentationum *factus sum* aridus, ut est *uter* tempore frigidissimo in medio *pruinae* constitutus. Sed licet tanta spiritus ariditate laborem, tamen praecepta tua *non sum oblitus.*

84. *Quot sunt dies servi sui? quando facies de persequentibus me iudicium.* Instat petitioni optans consolationem et liberationem tentationum, q. d. Quando finientur *dies* tentationis et miseriae? quando *iudicabis* et *condemnabis persequentes* et tentantes me, ut *persecutio* conquiescat.

85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua.* Haec est causa cur maxime cupiat ab *iniquis* liberari; quoniam *iniqui* tentantes *pios* *narrant* delectationes mundi, quae sunt merae *fabulae*: et nihil habent simile cum *lege Domini*, quae pie custodita delectationes stabiles ac solidas affert.

86. *Omnia mandata tua veritas: inique persecuti sunt me, adiuva me.* Nam *omnia mandata tua* *verissimas* promissiones continent et *verissimas* delectationes observantibus *legem tuam* afferunt: ideo *iniusti* *narrantes* *fabulationes* suas *persecuti sunt me*, sed tu, Deus, contra eorum insidias *adiuva me*.

87. *Paulo minus consummaverunt me in terra; ego autem non dereliqui mandata tua.* Tam gravis fuit tentatio illorum, qui per dulces sermones me subvertere nitebantur, ut pene me perdiderint *in terra*, et ad coelum aspicere nequirem; et tamen non obtinuerunt, quia *non dereliqui mandata tua*.

88. *Secundum misericordiam tuam vivifica me; et custodiam testimonia oris tui.* Concludit denuo petendo *vitam gratiae*, per quam *mandata Dei custodiuntur*.

LAMED.

89. *In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in coelo.* 90. *In generationem et generationem veritas tua: fundasti terram, et permanet.* 91. *Or-*

*dinatione tua perseverat dies : quoniam omnia se-
viunt tibi.* In hoc octonario propheta a firmitate p-
missionum divinarum sumit argumentum ad exhi-
tandos homines ad servandam legem divinam. Sen-
sus versuum est: *In aeternum, Domine, promissa
tua permanet in coelo*, licet subinde in terris vidi-
tur non permanere, et semper *manet veritas* p-
missionum tuarum, quae in omnem *generationem
generationem* implentur. Postea hanc promissionum
stabilitatem probat duobus exemplis; *Fundasti ter-
ram et permanet*, hoc est primum, q. d. funda-
vit terram immobilem, et semper *manet* immobili.
Ordinatione tua perseverat dies, hoc est alterum
ordinavit enim Deus, ut e contrario coelum sive s-
moveretur semper, et motu suo *diem* efficeret. Ra-
tio autem huius tantae firmitatis est, quia *omnia*
nutum Deo creatori obtemperant.

92. *Nisi quod lex tua meditatio mea est : tunc forte
perissem in humilitate mea.* Sensus est: Nisi in *le-
ge tua* assidue *meditatus* fuisset, ubi hanc promissi-
onum tuarum veritatem didici, *forte perissem* in aff-
lictione mea, tentationibus adversariorum superato.

93. *In aeternum non obliviscar iustificationes
tuas: quia in ipsis vivificasti me.* Confortatus ex *me-
ditatione* promissionum, quae in lege continentur
confidenter iam dico: *In aeternum non obliviscar
iustificationes tuas, quia in ipsis*, id est, super ea-
rum observationem *vivificasti me*, vitam gratia
augendo, et vitam gloriae promittendo.

94. *Tuus sum ego, salvum me fac : quoniam ius-
tificationes tuas exquisivi.* Q. d. Quia *tuus sum*,
nullius alterius domini esse volo; ideo recte peto
ut *me salvum facias*, et ut rem tuam conserves, ne
pereat, dum nihil aliud quaero, nisi mandata tua
ut illa perficiam.

95. *Me expectaverunt peccatores, ut perderent me: testimonia tua intellexi.* Non sine causa dixi: *salvum me fac*, quoniam *peccatores me expectaverunt*, ut tentationi consentire me facerent, et sic *perderent me*; sed ego gratia tua adiutus *testimonia tua intellexi*, *intellexi* scilicet, quid lex tua in talibus circumstantiis praeciperet, quid promitteret, quid miraretur.

96. *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.* Intelligens testimonia tua, et eis cognovi, et vidi *finem consummationis* omnium rerum, iudicium videlicet novissimum, in quo *consummatis* meritis, bonis et malis, reddentur praemia bonis, supplicia malis. Vere igitur *latum mandatum tuum nimis*, id est, vere ampla et secunda est lex tua, cum in ea conspiciantur praemia custodientium legem et supplicia praevericantium. Ita Bellarminus. Alii aliter exponunt, et unusquisque fere propriam expositionem affert.

MEM.

97. *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota est meditatio mea est.* In hoc octonario iterum redditur encomium *legis*; ac primo hic testatur amorem suum erga divinam *legem*, postea reddit causam amoris, enumerans utilitates eius.

98. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in aeternum mihi est.* Haec est prima utilitas *legis*, quia *prudentem* facit. *Super inimicos meos*, praevericatores videlicet *legis*, *prudentem me fecisti per mandatum tuum*, dum illud sidue meditor et adimpleo.

99. *Super omnes docentes me intellexi; quia testimonia tua meditatio mea est.* 100. *Super senes intellexi; quia mandata tua quaesivi.* Haec est al-

tera utilitas legis, quia non solum prudentiam, sed etiam sapientiam gignit. Per *omnes docentes* intelliguntur ii, qui Davidem puerum docuerunt. Et per illud: *Super senes intellexi*, dicere vult, se adhuc iuvenem sapientiore[m] fuisse multis senibus ob studium suum assiduum in *meditanda lege Domini*.

101. *Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut custodiam verba tua.* 102. *A iudiciis tuis non declinavi: quia tu legem posuisti mihi.* Haec est tertia utilitas legis Domini, quia facit multa vitare peccata. *Ab omni via mala prohibui pedes meos*, id est, cavi ne ambularem per *vias iniquorum*: idque ut *custodirem legem tuam*, quae contrarium iter ostendit. *A iudiciis enim tuis non declinavi*, quia hanc sanctam legem tu, Dominus meus, dedisti mihi.

103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Haec est quarta utilitas, quod summam lex Domini se custodientibus voluptatem affert; nihil enim iucundius bona conscientia et spe beatitudinis, quam parit observantia divinae legis.

104. *A mandatis tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis.* Probat ex lege Domini magnam se voluptatem percepisse: nam *a mandatis tuis*, inquit, *intellexi*, id est, *a mandatis tuis* eruditus, prudens et sapiens factus sum, ut constat ex hebraeo et graeco. Et ex hac prudentia et sapientia, ex assidua meditatione legis acquisita, magnum odium concepi adversus omnes actiones iniquas: hoc autem odium mirifice conservat animae puritatem, et gignit magnam fiduciam in Domino, unde oritur ineffabile gaudium, pax et tranquillitas.

NUN.

105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* In hoc octonario rursus laudat

propheta legem divinam ab utilitate: deinde promittit se eam observaturum non obstante qualibet tribulatione. Utilitas eximia est, quod lex Domini sit nobis in via vitae huius instar *lucernae* ambulanti-
 bus in tenebris. *Verbum tuum*, sive lex tua, est *lucerna pedibus meis*; et hoc ipsum declarans addit: *lumen semitis meis*. Sermo est metaphoricus, sed facile intelligitur.

106. *Iuravi, et statui custodire iudicia iustitiae tuae. Iurat et statuit*, id est, firmissime apud se constituit *custodire* tam utilem legem, quam *iudicia iustissima* vocat.

107. *Humiliatus sum usquequaque, Domine: vivifica me secundum verbum tuum*. Q. d. Afflictus et vexatus sum valde occasione legis servandae; sed tu, Domine, veram *vitam*, quae malis omnibus libera erit, mihi aliquando tribue *secundum* promissionem tuam.

108. *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine: et iudicia tua doce me*. Sensus est: Quod statui custodire legem, est *voluntarium* et spontaneum sacrificium *oris mei*; hoc ergo fac, Domine, ut tibi bene placeat. Atque ut rite hoc sacrificium offeram, *doce me* perfecte legem tuam observare.

109. *Anima mea in manibus meis semper; et legem tuam non sum oblitus*. Quam serio statuerim custodire legem tuam, et hoc sacrificium sponte obtulerim, ex hoc intelligi potest, quod quotidie de vita pericliter ob legis tuae custodiam, eam tamen legem *non sum oblitus*. *Anima mea in manibus meis est*, significat, in periculo vitae sum, ut alibi dictum.

110. *Posuerunt peccatores laqueum mihi: et de mandatis tuis non erravi*. Non sine causa dixi *animam meam in manibus meis semper esse*, quia pec-

catores posuerunt laqueum mihi ut me caperent, et tamen non aberravi a mandatis tuis.

111. *Haereditate acquisivi testimonia tua in aeternum: quia exultatio cordis mei sunt.* Cur de mandatis tuis non erraverim, ea causa est, quia elegi mihi tanquam *haereditatem* aeternam ipsam legem tuam, quia iucundissima et dulcissima mihi est. Ita s. Hilarius, s. Hieronymus, s. Ambrosius, Theodoretus et alii.

112. *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum, propter retributionem.* Porro causa tantae delectationis est merces copiosissima, quam secum affert legis custodia.

SAMECH.

113. *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.* In hoc octonario propheta detestatur praevaricatores legis divinae, et se contrarium eis esse demonstrat: *odio autem iniquos habui*, ut monet s. Augustinus non ratione naturae, sed ratione *iniquitatis*.

114. *Adiutor et susceptor meus es tu; et in verbum tuum supersperavi.* Ut non timeam iniquos, quos odi, et legem adimpleam, quam dilexi, *adiutor meus es tu* in lege custodienda, et *susceptor* in evadenda persecutione iniquorum, et ego vicissim *in verbum* promissionis tuae valde speravi.

115. *Declinate a me, maligni: et scrutabor mandata Dei mei.* Una ex causis, cur odio habeat iniquos propheta est, quia eorum consortium valde impedit meditationem verbi divini, quae quietem et pacem animi desiderat; ideo cupit eos *a se* recedere.

116. *Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam; et non confundas me ab expectatione mea.* Ut cupio iniquos a me recedere, ita cupio, ut tu, Do-

mine, ad me accedas, et in sinum tuum suscipias *secundum eloquium* promissionum tuarum, et tunc verissime *vivam*, cum tibi, qui *vita* es, coniunctus ero. Et quia de benignitate tua, non de meritis meis, id expecto, *non confundas me ab expectatione mea*.

117. *Adiuva me et salvus ero; et meditabor in iustificationibus tuis semper*. Quod prius dixerat, aliis verbis repetit. Fructus autem huius susceptionis erit, ut sine impedimento semper *meditari* valeat in lege Domini.

118. *Sprevisti omnes discedentes a iudiciis tuis; quia iniusta cogitatio eorum*. Ostendit nunc quod si ipse odio habet iniquos, id facit exemplo Dei, qui omnes iniquos a lege sua *discedentes*, iustissime execratur; quia ipsi *cogitant* se non debere subdi legi Dei, qua *cogitatione* nihil iniquius est.

119. *Praevaricantes reputavi omnes peccatores terrae: ideo dilexi testimonia tua*. Huiusmodi iniquos et *praevaricatores* omnes habui pro hominibus nihili, quorum vita, utpote noxia reipublicae, nullius est momenti; et ideo, ne et ego his annumerari debeam, *dilexi legem tuam*.

120. *Confige timore tuo carnes meas; a iudiciis enim tuis timui*. Postulat in fine confirmationem in timore Dei, ut in custodia legis per eum *timorem* perseveret. Addit: *a iudiciis enim tuis timui*; id est, quoniam iam coepi *timere a iudiciis* vis poenas comminantibus, ideo cupio stabiliri in hoc sancto *timore*, ut ab eo nunquam divellar.

A I N.

121. *Feci iudicium et iustitiam; non tradas me calumniantibus me*. In hoc octonario petit gratiam liberationis a *calumniatoribus*, et auxilium ad legem

perfecte implendam. *Feci iudicium*, etc., id est, reddidi unicuique suum, ideo aequum est ut *non tradas me calumniantibus me*.

122. *Suscipe servum tuum in bonum; non calumnientur me superbi*. Q. d. *Feci iustitiam*; sed ut et semper *faciam*, tu *suscipe servum tuum in bonum*, illum dirigendo; sive, ut clarius in hebraeo, *ordina servum tuum ad bonum*, ut hoc illi semper placeat; et sic fiet, ut non facile *me calumnientur superbi*, sive homines, sive daemones; sic enim saltem non erit cur timeam *calumniatores*.

123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium iustitiae tuae*. Confirmat se ardentem desiderare illam directionem ad bonum: *Oculi mei defecerunt* prae desiderio respicientes assidue in *salutem tuam*, quae de coelo nobis adveniet, et in *eloquium iustitiae tuae*, id est, in promissionem tuam fidelissimam.

124. *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam; et iustificationes tuas doce me*. Pergit in oratione, ac petit ut Dominus operetur secum, non secundum merita ipsius, sed *secundum misericordiam suam*, quae in eo potissimum consistit, ut doceat implere et custodire legem suam.

125. *Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua*. Ista tam frequens petitio eiusdem rei, signum est magni desiderii.

126. *Tempus faciendi, Domine; dissipaverunt legem tuam*. Sensus est: *Tempus est, Domine, ut facias iudicium adversus impios, eosque punias, quoniam legem tuam non solum utcunque violaverunt, sed penitus dissipaverunt, cum nihil eius observent*. Ita Theodoretus, Euthymius, Bellarminus, Tirinus et alii.

127. *Ideo dilexi mandata tua super aurum et*

topazion. 128. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.* Quia multi dissipaverunt legem tuam, et ob hoc video gravissimum illis imminere supplicium: ideo ego ex adverso magis incensus sum amore legis tuae, et pluris illam facio quam aurum et lapides pretiosos: ideo etiam *dirigebar ad omnia mandata tua*, id est, recte ambulabam per *viam mandatorum tuorum*, imo etiam *omnem viam iniquitatis*, sive omnem legem carnis et peccati odio habui et declinavi.

P H E.

129. *Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.* In hoc octonario iterum propheta revertitur ad laudandam legem, et ad petendam gratiam eandem perfecte servandi. Hic igitur legem laudat, quod *admirabilis sit*, et ideo eam *scrutatus sit* diligenter.

130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat; et intellectum dat parvulis.* Quia dixerat mirabilia esse mandata divina, nunc addit quod si *declarentur*, mirifice mentem *illustrent*, et *intellectum dent parvulis*, id est, simplicibus.

131. *Os meum aperui et attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.* Et ego, ut unus ex parvulis, summo desiderio anhelavi ad scientiam, intelligentiam et praxim legis tuae; sicut lassi aërem hiant ore captant. Ita s. Hilarius, Theodoretus, Iansenius, Genebrardus et alii.

132. *Aspice in me, et miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.* Aperiendo autem os ad orandum dixi: *Aspice in me*, etc., *secundum iudicium*, id est, iuxta consuetudinem qua uteris erga amicos tuos, qui te in veritate *diligunt*. Ita Bellarminus, Tirinus, Le Blanc et alii.

133. *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: et non dominetur mei omnis iniustitia.* In hoc autem misereberis mei, si per gratiam tuam feceris, ut ego rectam viam ingrediari, ambulans secundum directionem legis tuae; et sic nullam *iniustitiam* committam, quae me captivum teneat.

134. *Redime me a calumniis hominum; ut custodiam mandata tua.* Gressus meos dirige potissimum, cum periculum est ne declinem a recta via, perturbatus *calumniis hominum*: ab his me libera, ut animo tranquillo *custodiam mandata tua*.

135. *Faciem tuam illumina super servum tuum; et doce me iustificationes tuas.* Quod supra dixerat: *Aspice in me*, idem aliis verbis repetit, et ait: Sere- no me vultu respice, et *lumine* ad me transfuso, *doce me* legem tuam intelligere et servare.

136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei; quia non custodierunt legem tuam.* Quam vehementer David legem dilexerit, iam demonstrat ex magno dolore, quem ob transgressionem concepit; dicit enim, se rivos lacrymarum ex *oculis* quasi ex fontibus produxisse, *quia non custodierunt legem tuam*, nempe in contemplanda et concupiscenda Bethsa- bee.

TSADE.

137. *Iustus es, Domine: et rectum iudicium tuum.* In hoc octonario laudatur lex Domini a summa rectitudine et *iustitia*; ac primo demonstrat David esse *iustissimam* legem, quae significatur per *iudicium*, quoniam auctorem habet *iustissimum*, in quem iniustitia cadere non potest.

138. *Mandasti iustitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.* Ostendit legem Dei non solum iustam ob auctorem *iustissimum*, sed etiam quia

continet ipsam iustitiam. Mandasti, etc., id est, praecepisti nobis testimonia tua, quae sunt ipsa iustitia, et sunt ipsa veritas omnino. Ex hoc colligit s. Thomas 1 2, q. 100, a. 8 legem decalogi esse omnino indispensabilem.

139. *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Propter hanc tantam aequitatem legis tuae, dolore afficiebar, ita ut etiam tabescerem prae zelo, cum viderem homines, etiamsi inimicos meos, oblivisci verborum tuorum, id est, tam utilium praeceptorum tuorum.

140. *Ignitum eloquium tuum vehementer: et servus tuus dilexit illud.* Iterum docet propheta legem Dei esse iustissimam et purissimam, ex similitudine ad aurum igne probatum. Dicitur enim eloquium Dei ignitum vehementer, quia similis est lex Dei auro in fornace ignis constituto, ubi non laeditur, quia purum est ab omni sorde. Unde etiam sequitur, ut eadem lex summo amore diligenda sit. Ita s. Hieronymus.

141. *Adolescentulus sum ego, et contemptus; iustificationes tuas non sum oblitus.* Hoc refert David ad comparationem fratrum suorum, q. d. Ego sum minimus inter fratres meos, et contemptus; et tamen exaltatus ad regnum, et a Deo prae omnibus honoratus, quia iustificationes tuas non sum oblitus.

142. *Iustitia tua, iustitia in aeternum; et lex tua veritas.* Haec est repetitio et declaratio versus 138. Iustitia enim Domini, id est, iustissima lex Domini est iustitia aeterna, quia immutabilis et indispensabilis, et simul est veritas, quia nihil falsi continet; promissiones et comminationes eius impleri debent.

143. *Tribulatio et angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.* Ex hac veritate fit, ut

quotiescumque *tribulatio et angustia invenerunt me*, id remedii accipio, ut *mediter* et oblecter in *mandatis tuis considerandis*.

144. *Aequitas testimonia tua in aeternum: intellectum da mihi, et vivam*. Idem aliis verbis dicit quod in versibus 138 et 142 dixerat; q. d. Praecepta tua semper iustissima sunt: ideo peto ut *des mihi intelligentiam* praeceptorum tuorum, ut ea custodiendo *vivam*, quae si non custodirem, *morerer*.

COPH.

145. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine: iustificationes tuas requiram*. In hoc octonario propheta desiderium suum erga divinam legem ardenti oratione demonstrat. *Clamavi*, inquit, *toto affectu*, totisque viribus *clamavi: exaudi me, Domine*, ut praecepta tua diligenter *requiram*.

146. *Clamavi ad te, salvum me fac: ut custodiam mandata tua*, q. d. Magno desiderio oravi: *Salvum me fac* per gratiam, quae est salus inchoata, *ut custodiam mandata tua*, quantum in hoc saeculo fragilitas humana permittit. Et rursum *salvum me fac* in aeterna vita, *ut custodiam mandata tua*, sine ullo timore praevaricandi.

147. *Praeveni in maturitate et clamavi: quia in verba tua supersperavi*. Sensus est: Mature, antequam dies illucesceret, ego prae desiderio praeveni et anticipavi vigilias, et in oratione mea *clamavi*, quia *valde speravi* in promissiones tuas.

148. *Praevenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua*. Idem repetit aliis verbis.

149. *Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine: et secundum iudicium tuum vivifica me*. Pergit in oratione, quam diluculo faciebat: *Vo-*

cem meam audi, non secundum merita mea, sed secundum solitam misericordiam tuam, et secundum iudicium tuum, quo reddis quod promisisti: vivifica me, conservans hic vitam spiritualem, et ibi reddens aeternam.

150. *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti sunt.* Non sine causa peto vivificari, quoniam non desunt persecutores, qui *appropinquaverunt iniquitati*, etc., id est, qui *iniquitatem* diligunt, sicut e contrario *legem tuam* oderunt, illam fugiunt, et etiam aliis invisam reddere laborant.

151. *Prope es tu, Domine; et omnes viae tuae veritas.* Quamvis persecutores mei a lege tua longe facti sint, tamen a te longe fieri non potuerunt: quia *tu prope es* illis per iustitiam, et omnes leges tuae, omnia iudicia tua iustissima sunt, itaque manum tuam punientem fugere non potuerunt. Mihi quoque *prope es* per auxilium, et quia *omnes viae tuae veritas*, non patieris, ut mihi persecutores noceant. Ita s. Hieronymus, Euthymius, etc.

152. *Initio cognovi de testimoniis tuis: quia in aeternum fundasti eam.* Quod autem omnes viae tuae sint veritas, iam ab initio aetatis meae cognovi, dum mandata tua attente considerarem, quod scilicet sint aeternae veritatis, et immutabilia plane.

RES.

153. *Vide humilitatem meam et eripe me; quia legem tuam non sum oblitus.* 154. *Iudica iudicium meum et redime me; propter eloquium tuum vivifica me.* In hoc octonario rursum petit liberationem ab inimicis ad praevericationem legis pertrahere corantibus. *Vide afflictionem et tribulationem meam, et quia legem tuam custodire desidero, eripe me. Iu-*

dica causam meam, et redime me de manu inimicorum meorum, et propter promissionem tuam vivifica me.

155. *Longe a peccatoribus salus; quia iustificationes tuas non exquisierunt. Dixi: Vivifica me, quia legem tuam non sum oblitus; scio enim longe esse a peccatoribus salutem, quia leges tuas non exquisierunt.*

156. *Misericordiae tuae multae, Domine: secundum iudicium tuum vivifica me. Severissime quidem punis eos, a quibus longe fecisti salutem tuam: tamen multae etiam sunt misericordiae tuae: ideo peto ut me secundum iudicium tuum, quo diligentes legem tuam misericorditer iudicas, vivifices.*

157. *Multi qui persequuntur me et tribulant me: a testimoniis tuis non declinavi. Postulo ut vivifices me, quia multi me mortificare contendunt; et tamen gratia tua adiutus, a praeceptis tuis non declinavi.*

158. *Vidi praevaricantes et tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt. Ostendit hic propheta verum spiritum charitatis, quia non tam moleste ferebat persecutores ob propriam afflictionem, quam iniuriam Dei.*

159. *Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine: in misericordia tua vivifica me. q. d. Ego videns praevaricantes, tabescebam; aequum ergo est ut tu videns me diligentem mandata tua, misericorditer me vivifices.*

160. *Principium verborum tuorum veritas: in aeternum omnia iudicia iustitiae tuae. Sensus est: Verba tua procedunt a veritate, ut a suo principio et quasi fonte, et ideo verissima sunt: et in aeternum manent iudicia iustitiae tuae, quae sunt ut pios maneat praemium et impios poena. Ita s. Augustinus.*

SIN.

161. *Principes persecuti sunt me gratis: et a verbis tuis formidavit cor meum.* In hoc octonario demonstrat propheta constantiam suam in custodienda lege Domini. *Principes* Saul, Isboseth, Absalom, etc. *persecuti sunt me* sine ulla causa: ego tamen, timens mandata tua reddidi bona pro malis.

162. *Laetabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Non solum timui a verbis tuis, sed etiam dilexi verba tua, et ideo *laetabor super eloquia tua*, cum dabitur occasio illa implendi, sicut *laetatur qui invenit spolia* hostium victorum.

163. *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum; legem autem tuam dilexi.* Iterum repetit amorem suum erga *legem divinam* et odium erga *iniquitatem*.

164. *Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiae tuae.* Et hoc est dilectionis signum, sine intermissione Deum *laudare*, quod *iudicia* eius *iustissima* sint, et leges ipsius summam *iustitiam* in se contineant. Quamvis per numerum septenarium intelligatur frequentissima *laus*, tamen non sine causa ex hoc loco Ecclesia usum *septem* horarum canonicarum ab apostolis traditum observat, ut patet ex s. Clemente, s. Cypriano, s. Athanasio et aliis a Bellarmino et Tirino citatis.

165. *Pax multa diligentibus legem tuam; et non est illis scandalum.* Magna et verissima laus est dilectionis *legis* divinae; nam qui *diligit legem*, Deum *diligit legislatorem*, qui autem *diligit Deum*, cum omnibus ex parte sua *pacem* habet; pari ratione *non est scandalum*, *diligentibus legem* Domini, sed sine offensione currunt ad patriam.

166. *Expectabam salutare tuum, Domine: et man-*

data tua dilexi. Hic induit propheta personam perfectorum, et ideo cum fiducia dicit: *Expectabam salutare tuum*, id est, salutem aeternam, quae a te est, et rationem reddit, quia *mandata tua dilexi.*

167. *Custodivit anima mea testimonia tua: et dilexit ea vehementer.* In eadem perfecti persona loquitur, ac testatur se mandata servasse, quoniam ea vehementer amavit.

168. *Servavi mandata tua et testimonia tua: quia omnes viae meae in conspectu tuo.* Iterum in persona perfectorum, se omnia *mandata* servasse affirmat: sed ex alio motivo, quod proprium est perfectorum: videlicet, quia in omnibus actionibus suis cogitabat Deum esse praesentem: id enim significat illud: *quia omnes viae meae in conspectu tuo*: id quod Dominus Abrahamo dicebat: *Ambula coram me, et esto perfectus.* Gen. xvii.

TAU.

169. *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine; iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* In hoc ultimo octonario concluditur psalmus oratione ad Deum pro gratia et salute saepius petita. Hic igitur dicit: *Deprecatio mea*, quae suis meritis non confidit, elevetur et ascendat aspirante gratia tua, et *appropinquet* tibi. Illud *in conspectu tuo* positum est pro *ad conspectum tuum*, vel *conspectui tuo*. Hoc autem continet *deprecatio*, ut iuxta promissum tuum mihi des gratiam bene *intelligendi* et implendi mandata tua.

170. *Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium tuum eripe me.* Eandem petitionem aliis verbis repetit. Illud autem *eripe me*, significat finem, cur petierit intellectum sibi dari: nam finis illuminationis est liberatio a peccatis: *Co-*

gnosce'tis veritatem, et veritas liberabit vos. Ioan. VIII.

171. *Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas.* Promittit gratiarum actionem, si obtinuerit gratiam toties petitam, q. d. Si gratia tua illuminante et adiuvante perficiam mandata tua; tunc ex agnitione tanti beneficii *eructabunt*, etc.

172. *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua aequitas.* Sensus est: Non solum te laudabo, sed etiam loquar hominibus praecepta tua, et docebo quod *omnia aequissima*, ac proinde diligentissime observanda sint.

173. *Fiat manus tua ut salvet me: quoniam mandata tua elegi.* Pergit in oratione, petens, quod unice petendum est, aeternam salutem quae est finis mandatorum. *Fiat manus tua*, etc., id est, sit potentia et sapientia tua ad me salvandum. *Quoniam mandata tua elegi*: Optima ratio cur praetendat salutem, quia mandata elegit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. XIX.

174. *Concupivi salutare tuum, Domine: et lex tua meditatio mea est.* Reddit rationem cur tantopere petat salutem, quia videlicet illam prae omnibus desideratis *concupivit*; quod vel ex eo liquet, quia in lege considerata et custodienda semper exercetur.

175. *Vivet anima mea, et laudabit te; et iudicia tua adiuvabunt me.* Id est, cum salutem concupitam obtinuerit *anima mea*, et manus tua fuerit ad salvandum eam, *vivet*; et tunc officium eius erit, et solum negotium *laudare te*: nam *beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Ps. 83 addit: *et iudicia tua*, quibus in novissimo die iudicabis pro meritis, *adiuvabunt me*, ut corpore quoque vitam sempiternam possideam.

176. *Erravi, sicut ovis quae periit: quaere servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Erravi enim a patria expulsus, et adhuc exul erro, sicut ovis quae periit: sed tu, Domine, quaere servum tuum per gratiam tuam; sine qua nemo salvari potest. Confidenter autem peto salutem, tum animae, tum corporis, quia mandata tua non sum oblitus.* S. Ambrosius, s. Augustinus, Theodoretus, illud *erravi* sic explicant: a via legis tuae per varia peccata deflexi. Alii hunc versum exponunt de Davide errante in montibus, dum Saulem et Absalonem fugiebat; sed hic sensus videtur ab expositione sanctorum patrum alienus.

PSALMUS CXIX.

Synopsis

Sermo est de spirituali captivitate animae, in huius terrae exilio demorantis et expectantis inde egredi. Ita Le Blanc. Observandum est quod hic psalmus et sequentes xiv inscribantur Cantica graduum, vel ascensionum; eo quod a levitis in festis canerentur in xv gradibus templi, ut vult Chaldaeus. Tropologice sunt gradus, quibus ascenditur ad perfectionem et ad Deum, inquit S. Augustinus.

1. *Ad Dominum, cum tribularer; clamavi, et exaudivit me.* Inter varias huius exilii calamitates, una est maxime deploranda, videlicet lingua dolosa eorum, quibuscum versari cogimur. Ab hac se liberari petiisse et impetrasse canit propheta, ut exemplo suo caeteros in hoc exilio commorantes instruat. Verba sunt clara.

2. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa.* Declarat quid oraverit clamando:

Dixi, inquit: *Domine, libera animam meam*, etc. *Labia iniqua* proferunt detractiones, convitia, calumnias, etc., contra legem iustitiae. *Lingua dolosa* profert verba deceptionis, adulatoria, fraudulenta, etc. Et haec sunt ex maioribus et frequentioribus malis huius nostrae peregrinationis et exilii.

3. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Reddit rationem cur petierit liberari a *lingua dolosa*, quia videlicet sit tale malum, ut nihil ei addi possit, q. d. Quid enim mali tibi; o maledice, dari aut addi posset supra *linguam dolosam*?

4. *Sagittae potentis acutae, cum carbonibus desolatoriis.* Declarat elegantissima similitudine, quale malum sit *lingua dolosa*: ac dicit esse verba eius quasi *sagittas*, quae natura sua longe feriunt: et addit non esse qualescunque *sagittas*, sed *potentis*, id est, a robusta manu cum impetu emissas: et praeterea ab artifice bene politas et *acutas*; et denique adeo *ignitas*, ut quidvis *desolari* et vastare possint, qualia sunt fulgura coelestia, vere ignita et *acutissima*.

5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.* Ex occasione tam magni mali, et tam frequentis in hac peregrinatione, suspirat ad patriam, et sic vere et ex corde cantat canticum ascensionis: *Heu mihi! quia incolatus meus*, vel, ut ex hebraeo vertit s. Hieronymus, *peregrinatio mea prolongata est!* Nec mirum videatur si longam nimis queror esse hanc *habitationem*: *habitavi enim hucusque cum habitantibus Cedar*, id est, cum barbaris et esseratis hominibus, qui similes sunt *Cedarenis*, sive arabibus, sic dictis a *Cedar*, filio Ismaëlis, Gen. xxv, v. 13. Ideo rursus lamentatur:

multum incola fuit anima mea, id est, longus iam fuit *incolatus meus* in captivitate, et in terra aliena. Hinc colligi potest, paucos hodie reperiri, qui ex corde cantent canticum graduum, cum plerique omnes diligant adeo exilium, et tabernacula Cedar, ut nihil tristius audiant, quam sermonem de discessu ab hac vita.

6. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus; cum loquebar illis impugnabant me gratis.* Quod metaphorice et obscure dixerat: *habitavi cum habitantibus Cedar*, clare exponit dicens: *Habitavi cum his qui oderunt pacem*, ego qui nihil diligo magis quam *pacem*, id est, habitavi cum mihi dissimilibus, perversis, etc., et si forte *loqui de pace* incipiebam ad illos, ipsi sine ulla causa magis *me impugnabant*. Totus hic psalmus convenit quidem omnibus electis, sed praecipue capiti electorum Christo, quatenus viator erat secundum carnis passibilis conditionem: uti facile patebit singulos versus attentius consideranti.

PSALMUS CXX.

Synopsis

Consolatur peregrinos ascendentes in Ierusalem, promittens perpetuam Dei custodiam. Primo Propheta in persona peregrini: deinde in sua propria persona loquitur.

1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Quia terrena Ierusalem in montibus, et coelestis Ierusalem supra omnes coelos est, peregrinus ait: Ego exul *levavi oculos meos in montes*, ubi est civitas sancta *unde veniet mihi auxilium consolationis.*

2. *Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram.* Declarat peregrinus se non expectare auxilium a montibus, ad quos oculos levavit, sed ab eo, qui praesidet sanctae civitati supra montes positae. Describit autem verum Deum per opus creationis *coeli et terrae.*

3. *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.* Loquitur iam propheta in persona propria, et peregrino respondet, q. d. Bene et sapienter a conditore coelestis patriae auxilium et consolationem expectasti: ideo ego opto, ut Deus *non det in commotionem pedem tuum*, id est, non sinat te labi: hoc enim significat hebraica phrasis: *neque dormitet, qui custodit te*, i. e. opto, ut Deus, qui est custos tuus, semper vigilet in tua custodia. Deus metaphorice *dormitare* dicitur, quando permittit nos cadere, ac si non adverteret: quomodo qui *dormitat* non advertit quid fiat.

4. *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël.* Promittit propheta peregrino gratiam quae petebatur, q. d. Sine dubio non *dormitabit*: nam *non dormitat, neque dormit, qui custodit* populum suum peculiarem, in quo omnes illi continentur, qui ad patriam coelestem ascendere festinant. Quod dicitur, *non dormitabit, neque dormiet*, hunc habet sensum, non *dormitabit* subinde oculos claudendo et aperiendo: et multo minus se tradet profundo somno: itaque semper vigilabit. S. Augustinus pulcre dicit homines *dormitare*, quando carnis infirmitatem portant; *dormire* quando moriuntur: et ideo non esse fidendum *custodiae* hominum: Domino autem fidelissimo *custodi* tuto credere nos posse, dum ipse neque *dormiret* unquam in infirmitate, neque *dormiat* in morte.

5. *Dominus custodit te, Dominus protectio tua,*

super manum dexteram tuam. 6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Sensus est: Dominus non solum custodit Israëlem, id est populum universe, sed te quoque in particulari custodit; custodit autem, quia est protectio sive umbraculum, ut vox hebraica sonat, *super manum dexteram tuam*, i. e. quod umbraculum ad dexteram tuam positum obumbrat totum corpus tuum, et tuetur contra aestum solis, et vexationem lunae, id est, contra nocturnas et diurnas molestias. Metaphora desumpta est ab umbraculo, quod manu dextera super caput extensum, a calore et lumine solis ac lunae defendit. Porro metaphora umbraculi solis et lunae, sive diei et noctis, significat gratiam Dei, quae peregrinum custodit tempore prosperitatis et adversitatis; neque enim minus laedere solet in hoc itinere dies prosperitatis, quam nox adversitatis. Ita s. Hieronymus, Bellarminus, Tirinus, et alii.

7. *Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus*, q. d. Imo ab omni malo, quod in itinere occurrere posset, te Dominus proteget, atque custodiet: ex quo fiet, ut anima tua, seu vita tua, incolumis omnino toto in itinere conservetur.

8. *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc, et usque in saeculum.* Concludit propheta addendo ultimam et optatissimam consolationem: *Dominus custodiat*, etc., id est, Dominus custodiet, ut habetur in hebraeo, initium et finem omnium negotiorum, sive omnium actionum tuarum: illud *ex hoc nunc et usque in saeculum*, idem est, quod nunc et semper, q. d. *Ex hoc nunc*, id est, ex hoc praesenti tempore, incipiat Dominus introitum et exitum tuum custodire, et usque in saeculum non desinat custodire.

PSALMUS CXXI.

Synopsis

Describitur pulcritudo et nobilitas Hierosolymae, ad quam reverti cupiebant Hebraei ex Babylonica captivitate. Sed ut civitas illa typus erat coelestis patriae, ita redeuntes Hebraei ex captivitate ad terrenam Ierusalem, figura erant peregrinationis et ascensionis nostrae ad coelestem Ierusalem.

1. *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.* Verba sunt populi Dei, qui laetari se dicit de optimo nuntio per prophetas, praesertim Danielelem, Aggaeum, et Zachariam accepto reversionis in patriam. *In domum Domini ibimus*, id est, ad patriam revertemur, ubi montem Sion, et locum *domus Domini* videre nobis dabitur, ibique templo reaedificato, *in domum Domini* rursus ingrediemur. Sed nuntius felicior Christus erat, qui nobis dicit: *In domo Patris mei mansiones multae sunt*, Ioan. xvi. Hic nuntius ineffabili *laetitia* replet eos, qui didicerunt, quam bonum sit *in domum Domini ire*, etc.

2. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Ierusalem.* Dant hebraei rationem cur laetentur de reditu in patriam: *Stantes erant*, etc., quia recordamur temporis, quo *stantes erant pedes nostri, in atriis tuis, o Ierusalem*, id est, in portis tuis, ut expresse habetur in hebraeo. Multi enim redierunt ex iis, qui antea fuerant in Ierusalem, et viderant civitatem et templum; ut scribit Esdras, lib. 1, c.

3. Nos quoque *stetimus in atriis coelestis Ierusalem*, quando in parente nostro Adamo, paradysum terrestrem incoluimus, qui paradysus terrestris quasi vestibulum erat paradysi coelestis; et status ille

innocentiae erat quasi atrium, et porta status gloriae.

3. *Ierusalem, quae aedificatur ut civitas; cuius participatio eius in idipsum.* Hic incipiunt laudes eiusdem *Ierusalem*, quarum prima est, quod sit *civitas* pacatissima: *Stantes*, inquit, *erant pedes nostri in atris tuis, Ierusalem*: quae *Ierusalem* ita *aedificata* est, ut sit *civitas*, cuius *participatio est in idipsum*, id est, simul et communiter *participatur* ab omnibus. Ubi notandum est, illud *eius* redundare phrasi hebraica, adeoque sensus est: *cuius civitatis qui participes sunt*, nempe cives, simul in unum conspirant. In sensu mystico tota haec sententia multo est clarior et sublimior: siquidem coelestis *Ierusalem* vere *aedificatur ut civitas*, quemadmodum eam vidit s. Ioan. Apoc., c. XXI, et ibi summa est *participatio in idipsum*, cum unus ei idem Deus sit honor, et divitiae, et deliciae omnibus habitantibus in coelesti *Ierusalem*, etc.

4. *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Domini.* Haec est secunda laus *Ierusalem*, scilicet frequentia populi: *Illuc enim ascenderunt multae tribus*, sive omnes *tribus*, et ideo maxima multitudo conveniebat in *Ierusalem*. Hebraismus est *tribus, tribus*, pro *multae tribus*. Illud quod sequitur *testimonium Israël*, etc., explicat, cuius rei gratia tanta multitudo conflueret in *Ierusalem*: id enim fiebat iuxta *testimonium*, id est, iuxta legem Dei, seu praeceptum datum *Israëli*, nempe ut singuli ter in anno *ascendant* *Ierosolymam*, Exod. XXIII, v. 17, atque ibi *confiteantur nomini Domini confessionem laudis*, et gratiarum actionis. In posteriore sensu a Spiritu s. magis intento, videlicet de coelesti *Ierusalem*, illud iam *ascenderunt*, et quotidie *ascendunt tri-*

bus, tribus Domini, id est, animae sanctae ex omni tribu et natione ad *confitendum nomini Domini*, quoniam hoc est totum, quod agitur in illa domo, et hoc est *testimonium*, id est, praeceptum datum Israëli, id est, animae videnti Deum, ut nunquam cesset a laude, quae nunquam cessat ab amore.

5. *Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David*. Haec est tertia laus Ierusalem, quod illic sit *sedes* regia et supremum tribunal. *Quia illic*, id est, in Ierusalem, *sederunt sedes in iudicio*, id est, *sedes* regum sibi invicem succedentium quorum proprium est iudicare populum. *Sederunt*, id est, quieverunt immobiliter constitutae ac fixae. *Sedes super domum David*, id est, *sedes* illae familiae *Davidicae* a Deo constitutae sunt, tanquam stabilis et perpetuus thronus regius et iudicialis. Porro vere ac proprie in coelesti Ierusalem *sederunt sedes in iudicio*, quia firmissime stabiliti sunt in coelo thronus Christi, et throni eorum qui cum ipso regnant, et sedebunt super *sedes* duodecim iudicantes duodecim tribus Israëli, Matth. ix. Et *sedes* sunt *super domum David* fundatae, quia omnis sanctorum potestas regia et iudiciaria dependet a Christo *Davidis* filio.

6. *Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem: et abundantia diligentibus te*. Hortatur iam propheta peregrinos de captivitate revertentes, ut salutent saltem a longe civitatem *Ierusalem* bene precantes ei *pacem et abundantiam*: nam quando *abundantia* cum *pace* iungitur, nihil deest ad statum felicissimae civitatis. *Rogate quae ad pacem sunt Ierusalem*, id est: Precamini patriae vestrae a Deo veram et solidam *pacem*, et ut sit *abundantia* non solum ipsi civitati *Ierusalem*, sed omnibus *diligentibus te*, civitas sancta.

7. *Fiat pax in virtute tua: et abundantia in turribus tuis.* Ponit propheta ipsa verba, quae dicenda sunt ab iis, qui salutantes Ierusalem, precantur illi *pacem et abundantiam*; q. d. Cum salutatis Ierusalem, dicite: *Fiat pax*, prosperitas et salus *in virtute tua*, id est, in robore et numeroso populo tuo, sive, ut Symmachus et s. Hieronymus vertunt, *in muris tuis*, id est, inter cives tuos. *Et abundantia in turribus tuis*, id est, in palatiis quae *turrata* esse solebant. Caeterum duo isti versus, quatenus pertinent ad coelestem Ierusalem, continent quidem appreciationem *pacis et abundantiae*; sed non significant periculum esse, ne civitati illi desit unquam vel *pax*, vel *abundantia*. Exprimunt igitur solum piium affectum et laetitiam, quam habemus de bonis coelestis Ierusalem.

8. *Propter fratres meos, et proximos meos, loquebar pacem de te:* 9. *Propter domum Domini Dei nostri, quaesivi bona tibi.* Claudit psalmum propheta, dum breviter explicat, ob amorem civium sanctae civitatis, et multo magis ob amorem conditoris et habitatoris eiusdem civitatis, se impulsum fuisse ut precaretur eidem civitati *pacem*, et *abundantiam* omnis boni. *Propter fratres meos* tum carnales, tum spirituales, qui in te habitant, *loquebar*, id est, soleo *loqui pacem de te*, id est, prospera quaeque tibi precari. Item *propter domum Domini*, quae in te est, vel potius propter ipsum Dominum. Ita s. Hieronymus et alii.

PSALMUS CXXII.

Synopsis

Continet orationem hominis peregrinantis ad coelestem Ierusalem: et in exilio, vel itinere pressuram patientis.

1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis.* Loquitur propheta in persona peregrini, ac dicit se in quibuscumque pressuris non respicere ad alium adiutorem, nisi ad Deum.

2. *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum.* 3. *Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Explicat cur oculos ad Deum levaverit, ut videlicet Deum respiciat flagellantem, ut eo aspectu miserabili moveat ipsum ad misericordiam. Id quod illustrat similitudine *servorum*, qui dum caeduntur a *dominis*, respiciunt moesti ad manus caedentium, ipso aspectu quasi petentes, ut miseri ipsorum cessent a plagis. *Sicut oculi servorum et ancillarum in manibus*, in Hebraeo habetur clarius *ad manus dominorum suorum* convertuntur, ut ad misericordiam moveant, vel iuxta Tirinum ut eorum liberalitatem et opem experiantur. Et respondet applicatio: *Ita oculi nostri*, etc.

4. *Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.* Non contentus est peregrinus in hac terra oculis ad Deum fixis misericordiam implorasse: voce etiam cordis et corporis pro se et aliis clamat: *Miserere nostri*, etc., *quia multum repleti sumus despectione.* Praecipua *despectio*, de qua proprie loquitur propheta, est ea, quam patiuntur boni a malis et iusti ab iniquis, a

quibus passim superbe *despiciuntur*, et conculcantur, vexantur et irridentur.

5. *Quoniam multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis.* Docet hoc ultimo versu David, contemptum et despectionem, de qua supra loquebatur accidere pauperibus ac humilibus peregrinis ab hominibus copiosis et superbis; *multum repleta est anima nostra* confusione, videlicet quia facti sumus *opprobrium abundantibus, et despectio superbis.* Ita ex s. Augustino, Bellarmino et Le Blanc, unde Symmachus, s. Hieronymus et Chaldaeus clarius sic vertunt: *Repleta est anima nostra opprobriis abundantium, et despectione superbiorum.*

PSALMUS CXXIII.

Synopsis

Continet exultationem eorum, qui de gravissimis tribulationibus liberati fuerant. Itaque psalmus hic quatenus ad carnales Israëlitas pertinet, referendus est ad eas afflictiones, quas vel in captivitate, vel in civitatis et templi reaedificatione passi sunt: quatenus autem ad spirituales Israëlitas, sive ad Christianos ad coelestem Ierusalem ascendentes pertinet, referendus est ad persecutiones impiorum.

1. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël: nisi quia Dominus erat in nobis.* Sermo imperfectus et interruptus est exultationis insolitae signum. *Nisi quia Dominus erat in nobis*, id est, nisi Dominus omnipotens nobiscum fuisset, nunquam evadere potuissemus. Sed antequam sensum compleat, prae laetitia gestiens invitat *Israëlem*, id est,

totum populum Dei ad confessionem et laudem, dicens: *Dicat nunc Israël*, et iterum repetit: *Nisi quia Dominus erat in nobis.*

2. *Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos*: 3. *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.* Ecce quid accidisset nobis, nisi Dominus fuisset in nobis, neque iuvisset potentissima sua virtute. Nam cum nostri persecutores *exurgerent* adversus nos, periculum fuit ne tanta velocitate nos perderent, quanta solet mare vel flumen *vivos deglutire* eos qui in illud forte praecipitantur. Idipsum aliis verbis repetit: *Cum irasceretur*, etc., id est, *furor* hostium nostrorum instar aquae profundissimae repente *absorbuisset nos*. Illud *forte*, et *forsitan* non est dubitantis, sed asseverantis: Chaldaeus enim habet *tunc vivos, tunc aqua*, etc.

4. *Torrentem pertransivit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Persistit in eadem similitudine comparans adversariorum persecutiones *torrenti* rapido et profundo, qui sine potentissimo auxilio *pertransiri* non potest. Dicit igitur propheta in persona sanctorum: *Torrentem pertransivit anima nostra*, id est, persecutionem quasi *torrentem pertransivit anima nostra*; sed *nisi Dominus fuisset in nobis, nisi Deus adiuvisset nos, forsitan pro utique, vel certo, coacti fuisset pertransire aquam intolerabilem*, id est, *impertransibilem*, q. d. obruti fuisset mole, pondere, et copia malorum.

5. *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captivum dentibus eorum.* 6. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Utitur propheta alia similitudine, ex qua magis intelligatur magnitudo be-

neficii divini. Comparat persecutionem seu tentationem *laqueo* aucupis, ac dicit, gratias esse Deo agendas, *quod non dederit nos in captionem dentibus adversariorum*, id est, non permiserit capi, occidi, devorari. Quomodo id factum sit, explicat: *Anima nostra sicut passer erepta est, anima nostra* incidit quidem in persecutionem et tentationem, sicut avis in *laqueum* venatoris, sed tamen *liberata est* ab illa tentatione, sive persecutione, antequam *caperetur* et occideretur: sicut aliquando *capta* avis evadit. Id autem factum est quia *laqueus contritus est, et nos liberati sumus*, id est, persecutio vel tentatio cessavit per gratiam Dei, antequam *anima* peccato consentiret, etc.

7. *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram.* Concludit cum laude Dei humiliter agnoscens, victoriam et liberationem de tam periculosis tentationibus, non viribus suis tribuendam; sed *adiutorio* coelesti Dei omnipotentis, cuius omnipotentiae manifestum est argumentum, quod ex nihilo *creaverit coelum et terram.*

PSALMUS CXXIV.

Synopsis

Propheta peregrinis ascendentibus in patriam tum terrenam, tum coelestem dat consilium bonum, quod est, ut totam suam spem in Deo ponant.

1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commovebitur in aeternum, qui habitat in Ierusalem.* Propheta ponit initio generalem promissionem, eamque bis repetit ad maiorem veritatis asseverationem. *Qui confidunt in Domino* erunt immobiles

et securi, quaecumque tandem ingruat tempestas, sicut est ipse mons Sion, qui immobilis non solum quia mons, sed etiam, quia Deo praeprimis charus et sacer est. Idem repetit: *Non commovebitur in aeternum; qui habitat in Ierusalem*, idem est, ac qui *confidit in Domino*; illi enim qui *habitant cogitatione et spe coelesti in Ierusalem*, ipsi sunt qui *confidunt in Domino*: sic enim explicatur fiducia in Deum Psalmo xc, v. 1.

2. *Montes in circuitu eius: et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in saeculum*. Probat quod dixit, montem Sion securum et stabilem esse; sed multo magis eos, qui confidunt in Domino. Siquidem Sion *montes habet in circuitu*, quasi pro muro: sed qui confidit in Domino, ipsum *Dominum omnipotentem habet in circuitu*: et *montes qui Sion montem circumdant*, complanari possunt et cadere, sed *Dominus in circuitu est populi in se confidentis ex hoc nunc, et usque in saeculum*.

3. *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas*. Explicat qua ratione Dominus protegat confidentes in se. Quod si, inquit, permittet Dominus iustis de causis, iniquos dominari piis, non diu hoc permittet, ne pii desperantes incipiant etiam ipsi facere opera impiorum. Sensus igitur est: *Quia non relinquet Dominus virgam*, id est, dabit quidem aliquando Dominus impiis *virgam*, sive sceptrum, quod est insigne potestatis *super sortem*, id est, haereditatem, sive partem *iustorum*, sed *non diu relinquet virgam in manu impiorum: ut non extendant iusti*, etc., id est, *ne iusti non perseverent in iustitia*, impiorum exemplo et prosperitate allecti, vel impatientia victi.

4. *Benefac, Domine, bonis, et rectis corde*. Quia

dixerat periculum esse, ne iusti scandalum paterentur ex nimis diuturna potestate impiorum, convertit se ad Deum, atque precatur, ut *benefaciat bonis et rectis corde*, liberando videlicet eos velociter a potestate impiorum, aut certe patientiam illis et consolationem internam copiose suppeditando.

5. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israël.* Occasione versus superioris, quo bona optabantur rectis corde, subiungit propheta terribilem comminationem iis, qui *declinant* a rectitudine cordis, ac dicit eos, qui *declinant* a rectitudine *ad tortuositatem*, ad obliquationes, obliquitates, pravitates, implicationes (haec enim iuxta Hebraeum, Chaldaeum, Graecum et s. Hieronymum significat illud *in obligationes*) et in persecutione vel tribulatione perdunt sustentiam, ac vel fidem negant, vel de Deo queruntur, ac murmurant, eos *cum operantibus iniquitatem*, id est, cum ipsis persecutoribus et impiis hominibus, in iudicium *adducendos esse*. Et tum demum, separatis omnibus malis de medio bonorum, *pax* vera et sempiterna erit *super Israël*, id est, super populum Dei.

PSALMUS CXXV.

Synopsis

Psalmus hic apertissime loquitur de reversione a captivitate, et ascensione ad patriam, et convenit in tempus illud, quo decretum Cyri de solvenda captivitate promulgatum est: quod figura fuit Evangelii, quo nobis annuntiata est peccatorum remissio et ascensio ad coelestem Ierusalem.

1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati.* S. Hieronymus in Prolegom. de idiotismis Hebr. n. LII, sic vertit: *Cum converteret Dominus captivitatem Sion*, id est, cum primum a nobis auditus est decretum relaxationis, et reversionis in patriam, *facti sumus sicut consolati*, id est, sic laetati sumus, ut solent, qui insperatis bonis, vel novis nuntiis valde *consolantur*, seu recreantur. Hanc ineffabilem *consolationem* vere experiuntur, qui serio *convertuntur* ad Deum.

2. *Tunc repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra exultatione.* Ex consolatione interna prodiit laetitia externa, quae in hilaritate vultus et in voce *exultationis* agnoscitur. *Tunc*, ubi auditus est bonus nuntius liberationis, *repletum est gaudio os nostrum*, id est, facies nostra hilaris et iucunda apparuit, *et lingua nostra prorupit* in verba laetitiae et iubilationis.

3. *Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.* Nuntius huius liberationis non solum ingenti laetitia liberatos affecit, sed etiam alios, qui hoc audierunt, magna admiratione replevit, et ideo dixerunt: *Magnificavit Dominus facere cum eis*, id est, *magnifice* se gessit Dominus cum populo suo. Dicitur autem in futuro *dicent*, non *dixerunt*, quia

sensus est: *Tunc*, cum perveniet fama huius rei ad gentes, etiam longe positas, dicent inter se: *Magna fecit* Deus cum populo iudaeorum. Neque minus haec admiratio gentium locum habet, cum homines, qui de hoc mundo sunt, vident aliquos, qui de hoc mundo erant, mundo terga vertere, et ad patriam coelestem per viam verae virtutis ascendere.

4. *Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus laetantes.* Approbant liberati, quod gentes dicunt, q. d. Vere Dominus *magnifice* se nobiscum gessit: et ideo *facti sumus laetantes* qui sub iugo captivitatis gemebamus moerentes.

5. *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro.* Quoniam non statim omnes *captivi* reversi sunt, sed primum aliqui cum Esdra, alii deinde cum Nehemia: ideo qui primi redierant precantur Deum pro integra reversione *captivorum*, et aiunt: *Converte, Domine, captivitatem nostram*, id est, fac ut revertantur *captivi nostri* reliqui, qui adhuc in aliena terra morantur, *sicut torrens* trahit omnia secum, quando *flante Austro*, tum pluviis de coelo cadentibus, tum nivibus liquefactis impletur. Sed multo magis spiritualibus peregrinis haec precatio necessaria est, quamvis enim iam aliqui ad patriam pervenerint, tamen multi adhuc peregrinantur.

6. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Iam hortatur propheta captivos ipsos ut libenter in se suscipiant omnem laborem ambulandi et ascendendi, neque detineantur amore earum rerum, quas in terra aliena possidebant: quoniam in patria multo meliora invenient. Utitur autem similitudine *seminantis et metentis*. *Seminans* enim ordinarie *in lacrymis*, id est, cum dolore et gemitu propter triticum proiectum, vel certe cum labore et defatigatione seminat; sed quando messis adest, cum ma-

gno gaudio *metit*. Sed haec exhortatio apud spirituales peregrinos praecipue locum habet, qui hic in terris *seminant in lacrymis*, ut postea tempore suo cum *exultatione metant*.

7. *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.*
 8. *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Describit paulo fusius morem *seminantis et metentis*. *Euntes ibant* rustici ad agrum, *et flebant mittentes semina sua*, id est, cum dolore spargebant triticum suum in terram, videntes se privari interim opibus suis, non sine labore quae-sitis. Sed postea *venientes ex agro tempore messis venient domum cum exultatione portantes manipulos suos*, id est, referentes pro paucis granis integros *manipulos spicarum*. Caeterum non curavit propheta hanc similitudinem applicare, quia facile est unicuique id per se facere. Utitur hac eadem similitudine apostolus II. Corinth. ix. *Qui parce seminat, parce et metet*, etc. *Qui seminant hic bona opera*, et maxime verbum Dei, *metent in futuro manipulos meritorum*, et animarum quas convertunt, inquit s. Augustinus et s. Hieronymus.

PSALMUS CXXVI.

Synopsis

Docet quod citra Dei favorem nec urbes, nec familia, nec proles parari, vel servari possint; in altiori sensu autem, quod sine gratia Dei nec incipere, nec proficere, nec perseverare possimus in virtute. SS. PP. psalmum hunc supra modum obscurum communiter exponunt de domo Dei, id est, de templo sive materiali, sive mystico. Porro titulo, qui etiam in praecedentibus habetur, scilicet Canticum graduum, hic additur Salomonis, forte quia ipse aedificavit prior domum Domini, et commode introducit, ut admoneat Zorobabelem, quomodo se post reversionem e captivitate gerere debeat, in domo et civitate reaedificanda et custodienda.

1. *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam.* Haec dicuntur iudaeis templum reaedificantibus, quando infeliciter opus procedebat, impredientibus vicinis gentibus, ut scribitur in I. I. Esdrae. Admonentur itaque ut cogitent, nihil valere opera hominum, nisi primarius aedificator Deus adsit; *Nisi enim Dominus aedificaverit domum, id est, nisi Dominus invocatus cum fiducia operantibus adfuerit, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam, id est, omnis labor frustra consumptus est, et frustra etiam deinceps consumetur.* Haec eadem dicuntur praepositis Ecclesiae, qui convertere nituntur homines ad Deum et ex iis mysticum Domini templum, sive Ecclesiam aedificare. Denique eadem dicuntur unicuique nostrum, qui domum nobis per actus fidei, spei, charitatis, etc., aedificare debemus in coelo: haec enim domus magis orando ac gemendo, quam fabricando aedificatur.

2. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Civitas Ierusalem post captivitatem simul aedificanda, et simul custodienda erat, ut dicitur in l. II. Esdrae, propter irruptionem gentium in circuitu. Iudaei autem omni sua custodia et vigiliis nihil profecissent, nisi Dominus civitatem custodire voluisset. Hinc dicitur: Nisi Dominus custodierit civitatem etc. Hoc idem contingere certum est praepositis Ecclesiae qui utuntur vigilantes, contra inimicos Ecclesiae nihil proficient, nisi Dominus, etc. Hoc ipsum singulis nobis accidere solet: nisi enim Dominus nobis adsit, et nos saepe dormitantes custodiat, et pro nobis pugnet, frustra erit omnis labor noster.*

3. *Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Filii Israël prae nimia solitudine, dum in angustiis essent, ante lucem opus aedificationis aggrediebantur, ideo monet illos Spiritus sanctus: Vanum est vobis ante lucem surgere, ad opus videlicet aedificationis proseguendum, subintelligitur nisi Dominus aedificaverit domum, vel custodierit civitatem: quare confidentes in Dominum et illum assidue invocantes surgite postquam sederitis, id est, post nocturnam ac necessariam quietem, surgite ad opus, qui manducatis panem doloris, id est, vos, qui in angustia et oppressionem nunc vivitis propter infestationem inimicorum. Sed in sensu magis intento a Spiritu sancto monentur Ecclesiae praepositi et singuli etiam fideles, ut in aedificanda domo, sive communi, sive particulari, non magis fidant operationi, quam orationi. Vanum est vobis ante lucem surgere, id est, totum tempus consumere in aedificatione, vel custodia: surgite postquam sederitis, id est, surgite ad opus postquam sederitis vacantes quieti*

contemplationis et orationis, *qui manducatis panem doloris*, vos, qui prae desiderio coelestis patriae assidue gemitis, dicentes: *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?*

4. *Cum dederit dilectis suis somnum: ecce haereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* Est antithesis versus praecedentis, ut patet ex hebraeo, q. d. multi continuato labore dies et noctes se fatigant, sed frustra, Deo manum suam subtrahente: sed Deo *dilecti*, quibus favet et adest, et *cum dederit eis somnum*, id est, licet somno suavissime indulgeant, ipsis tamen quasi dormientibus affatim omnia bona obveniunt: nominatim *filii* quasi *haereditas* ipsis a Deo concessa; et *fructus ventris*, id est, fecunditas prolium et pecorum pariter ipsis tanquam *merces* iustitiae ipsorum: id verissimum fuit in veteri Testamento. Ita fere Chaldaeus, Theodoretus, Tirinus, Le Blanc et alii. Iam vero si psalmus explicetur secundum altiorem sensum, praedicatur felicitas coelestis Jerusalem, quae post *somnum* mortis temporariae manet eos, qui passibus amoris et fidei eo ascendere properarunt. *Cum dederit dilectis suis somnum*, id est, cum post labores et certamina *dederit* Deus omnibus *dilectis suis*, tam praepositis Ecclesiae, quam privatis fidelibus, domum sibi per opera bona fabricantibus, *somnum* beatæ mortis: *ecce haereditas Domini*, etc., id est, tunc apparebit in die iudicii, quod *filii* Dei sint ipsius Dei *haereditas*, quia tunc *dilecti* transibunt in aeternam Dei possessionem ac *haereditatem*, et iidem *filii* erunt *merces* Christi, qui est *fructus ventris* vere et proprie, cum non ex viro, sed ex sola virgine ortam habuerit. Ita Bellarminus.

5. *Sicut sagittae in manu potentis; ita filii excus-*

sorum. Declarat quales futuri sint *fili*, quos Deus daturus est dilectis amicis suis. Nam *sicut sagittae in manu potentis*, seu fortis sagittarii, magna vi contortae, supplendum est, praesidio sunt ipsi sagittario et terrori hostibus; *ita sunt filii excussorum*, id est, iuvenum, ut habetur in hebraeo; unde Aquila, Symmachus et s. Hieronymus vertunt *fili iuventutis*, q. d. Deus amicis suis in flore iuventutis, dabit validas et robustas proles, quae parentibus suis sint aliquando pro *sagittis*, id est, armis et praesidio, quo possint etiam e longinquo contra hostes defendi. Ita Tirinus et alii. Sed Bellarminus hos *fili excussorum* vocari dicit, quia *fili iustorum*, sunt *fili* eiectorum et expulsorum e mundo: et tamen isti *excussi* et reiecti fortissimi sunt; et de mundo ac de daemonibus mirabiliter triumphant. Ita ille. Hic locus varie tam a veteribus quam a recentioribus explicatur, sed unusquisque in suo sensu abundet, ubi nullum subsit fidei periculum. Caeterum in futuro saeculo, ac praesertim in die resurrectionis et ultimi iudicii maxime apparebit, quam sint potentes isti *fili excussorum*, qui per gloriosam resurrectionem erunt veri *fili iuventutis*, quia renovabitur ut aquilae iuventus eorum.

6. *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Q. d. *Beatus* est ille, qui domum suam (prout desiderarat) plenam habet eiusmodi sagittis, id est, filiis multis probis et fortibus: hi enim parenti suo praesidio erunt, ut *non confundatur, cum loquetur*, sive contendet cum *inimicis suis in porta*, id est, in iudicio, quod loco publico fiebat *in porta* urbis. Ita Tirinus, Le Blanc et alii. Sed Bellarminus ait, psalmum concludi per epiphonema acclamando ipsi Christo Domino (nam versum 4 etiam

exposuerat de Christo): *Beatus vir*, id est, vere felix est ille, Christus videlicet, *qui implevit desiderium suum ex ipsis filiis suis*, quoniam perduxit ad finem desiderium suum, quod erat videndi salutem et gloriam filiorum suorum, pro quibus tam multa fecit et pertulit, et ideo *non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta*, id est, in ultimo iudicio, quod exercebitur in amplissima porta, id est, in conventu totius mundi, *non confundetur, cum loquetur inimicis suis*, daemonibus et hominibus iniustus, sed eos potius *confundet* et convincet iniustitiae et imbecillitatis, etc. Haec et plura Bellarminus.

PSALMUS CXXVII.

Synopsis

Est exhortatio ad pietatem, proposita ingenti mercede virtutis.

1. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.* Docet propheta redeuntés a captivitate, quomodo se gerere debeant, si nolint iterum in captivitatem reverti, sed perpetuo frui bonis in Ierusalem; quae doctrina etiam iis convenit, qui peregrinantur a patria coelesti, atque ad eam redire festinant. *Beati omnes, qui Deum vere timuerint*, id est, si formidaverint Deum offendere, atque eo timore muniti a Dei gratia nunquam exiderint. Signum autem sancti huius timoris est, si *in viis eius*, id est, in praeceptis eius *ambulaverint*.

2. *Labores manuum tuarum quia manducabis; beatus es et bene tibi erit.* Incipit enumerare felicitates hominis timentis Deum, atque ad eum ipsum

sermonem dirigit, dicens: Frueris iis bonis, quae labore manuum, sive operum tuorum acquisieris. Et ideo *beatus es* in spe maiorum bonorum, et postea *bene tibi erit* in re. Caeterum licet aliqui timentes Deum non possint frui bonis, sed esurire et sitire cogantur, non ideo tamen falsa erit promissio, quae hic habetur; nam dat illis Deus aliquid longe melius, videlicet gaudium de tribulatione, Hebr. x, et tunc sensus huius versus est: Nunc *manducabis laborem*, id est, de gaudio laboris et tribulationis reficietis: postea vero de fructu ipso *laboris*, id est, de praemio bonorum operum saginaberis, et ideo nunc *beatus es* in spe, et postea *bene tibi erit* in re.

3. *Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuae.* Haec est altera felicitas timentis Deum: *Uxor tua*, non uxores, non concubinae tuae, *sicut vitis abundans*, id est, multos pariens filios, *sicut vitis foecunda racemo in lateribus domus tuae*, id est, intus manens, ut modesta et pudica, et curam domus interioris habens, dum vir de his, quae foris sunt, cogitat. Sed quamvis haec felicitas quaedam sit, tamen magna non est, cum Deus multis magnisque amicis suis hanc felicitatem non dederit: multis etiam inspiraverit desiderium et propositum sanctae virginitatis, quos certe Deus non privasset felicitate coniugii et foecunditatis carnalis, si non esset virginitas donum longe excellentius.

4. *Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.* Tertia haec felicitas est timentis Deum, bona scilicet *filiorum* educatio. *Filii tui* similes erunt arbusculis optimis quales sunt *oleae*, quae semper virent, et fructum dulcissimum faciunt: erunt autem *in circuitu mensae tuae*, ut eos omnes simul videns, et cum eis convescens, maiorem ex

illis delectationem capias. Haec conveniunt etiam in *filios* spirituales, quos cum pater verbo Dei pascit et proficere videt, mirifice gaudet Philipp. iv, allegorice Ecclesia Christi semper abundabit *filiiis* genuinis, floridis et pacificis; pacis enim symbolum est *oliva*. Ita s. Augustinus.

5. *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*

6. *Benedicat tibi Dominus ex Sion; et videas bona Ierusalem omnibus diebus vitae tuae.* 7. *Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israël.* Quarta felicitas haec est, quod timens Deum ita sit a Deo *benedicendus*, ut *videat* civitatem suam *Ierusalem* abundantem omnibus *bonis*, toto tempore *vitae suae*; et *videat* in ea civitate *filios filiorum* similiter beatos et felices, et denique *pacem*, quae omnia *bona* conservat et custodit. In altiori sensu describitur felicitas tanto maior tribus superioribus, quantum distat coelum a terra, et Deus a creaturis; et propterea eam non narrando, sed imprecando propheta proponit: *Ecce praeter omnia quae dicta sunt, sic benedicetur homo, qui timet Dominum*, nimirum dicetur illi: *Benedicat tibi Dominus ex Sion*, id est, non solum *benedicat tibi Dominus* de terra, temporalia *bona* tribuens, sed etiam *benedicat* ex monte sancto suo, tibi que praestet, ut *videas* Deum, in quo sunt omnia *bona Ierusalem*, omnibus *diebus vitae tuae*, id est, in aeternum. Accedet ad gaudium beatorum, quod videbunt in patria illa coelesti *filios filiorum suorum*, id est, qui per *filios suos* spirituales ad Deum adducti fuerunt. Denique accedet ad consummationem felicitatis, quod *videbunt pacem super Israël*, *pacem* firmam et stabilem, quae securissimos reddet omnes habitatores *Ierusalem* usque in aeternum.

PSALMUS CXXVIII.

Synopsis

Propheta in praecedente psalmo multa dixit de bonis Hierusalem: nunc redit ad mala Babylonis, in qua exules et peregrini sumus.

1. *Saepe expugnaverunt me a iuventute mea, dicat nunc Israël.* Consolatur se populus Dei in tribulatione positus, quod iam sit assuetus talibus angustiis, et semper Deo adiuvante liberatus fuerit. Ait igitur: Populus Dei, qui *Israël* vocatur, non miretur, si ab hostibus oppugnatur, quia nihil novi patitur, sed revocet ad memoriam praeteritas angustias et dicat: *Saepe expugnaverunt me*, id est, *expugnare* conati sunt inimici mei iam inde a prima mea aetate. Conveniunt haec verba populo Hebraeorum, et etiam Ecclesiae Christi, quae vix unquam ab oppugnatione paganorum vel haereticorum respirare potuit.

2. *Saepe expugnaverunt me a iuventute mea: etenim non potuerunt mihi.* Reddit rationem, cur hostes praelium saepe repetierint, quia nempe nunquam praevaluerunt. Illud *non potuerunt mihi*, vel positum est, pro *non potuerunt in me*, vel subintelligitur aliquid, ut *non potuerunt mihi nocere*, vel praevalere.

3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.* Quod propriis verbis propheta dixerat, id nunc per similitudines et metaphoras confirmat: dicit igitur populus Dei de persecutoribus suis: *Supra dorsum meum* quasi super incudem *fabricaverunt* instrumenta ferrea; quae similitudo significat assiduam et durissimam persecutionem; nihil enim crebrius et fortius per-

cuti solet, quam incus a *fabris*. Idem significatur verbis sequentibus: *prolongaverunt*, etc., *prolongatio* enim *iniquitatis* est continuatio persecutionis, quam boni semper patiuntur a malis. Hic versus allegorice Christo flagellato convenit.

4. *Dominus iustus concidit cervices peccatorum: confundantur et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.* Consolatur nunc propheta populum Dei, q. d. Bono animo estote, iusti, quoniam persecutores quidem vestri dorsum, sive cervicem vestram nunc iniuste premunt, sed paulo post *Dominus iuste cervices ipsorum non premet, sed concidet*, et in frustra comminuet gladio suo, ut nunquam amplius vobis nocere possint: et tunc demum *confundentur*, qui antea superbe exultabant, *et convertentur retrorsum* fugientes et cadentes omnes illi, qui oderunt et persequebantur populum Domini.

5. *Fiant sicut foenum tectorum: quod priusquam evellatur exaruit.* 6. *De quo non implevit manum suam qui metit, et sinum suum qui manipulos colligit.* Alia est imprecatio, quae uti prior praedictionem notat. Significat enim brevissimam fore persecutorum felicitatem; et mirabili amplificatione comparat eam *foeno*, quod est res per se vilis et fragilis; et quidem addit, similem esse *foeno*, quod in *tectis* domorum subinde nascitur, quod nullius est pretii, nullique usui aptum; ac propterea nemo illud *metit*, neque in *manipulos redigit*, sed arecere et perire permittit.

7. *Et non dixerunt qui praeteribant: Benedictio Domini super vos; benediximus vobis in nomine Domini.* Addit non futurum etiam, ut huius foeni messoribus (quia nemo erit, qui metet) a *praeter-euntibus benedicatur*, quomodo *benedici* solet mes-

soribus tritici vel foeni, quod in campis nascitur; quod pertinet ad maiorem confusionem iniquorum, qui foeno nascenti in tectis comparati sunt; his igitur praesertim in die iudicii nemo *benedicet*, nemo eorum miserebitur, sed ab omnibus despicientur et contemnentur. Nemo igitur illis dicet: *Benedictio Domini super vos*, neque dicet: *Benediximus vobis in nomine Domini*; sed contra potius a Christo iudice et ab omnibus sanctis eius dicetur: *Discedite, maledicti*, etc.

PSALMUS CXXIX.

Synopsis

Hic psalmus unus est ex gradualibus, quia deplorat miseriam exilii: unus est etiam ex poenitentialibus, quia docet rationem agendi veram poenitentiam. Pro defunctis quoque frequentissime recitari solet, quia si dicatur in persona animae in purgatorio detentae, omnia optime quadrant; nam et animae illae sunt in quodam profundo, et ascendere cupiunt, et expectant misericordiam Dei per Redemptoris nostri pretium. In summa tria continet, orationem ad Deum, exhortationem ad populum, et praedictionem redemptionis.

1. *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam.* Oraturus propheta Deum primo postulat audientiam. Incipit autem a similitudine hominis iacentis in ima valle, vel in profundo puteo, qui nisi magna voce clamet, non potest audiri. Ait igitur: *De profundis*, non *de profundo*, quia verus poenitens ex duobus *profundis clamare* debet, ex *profundo* miseriae, tanquam ex valle lacrymarum, et ex *profundo* cordis, id est, ex intima

consideratione et cognitione propriae miseriae. *Domine, exaudi vocem meam*, id est, quamvis in *profundo* sim, et tu in altis habites, tamen, quia magna voce clamo, potes me audire, ideo peto ut *exaudias vocem meam*.

2. *Fiant aures tuae intendentes, in vocem deprecationis meae*. David omnino audiri cupiens, non contentus magna voce clamasse, rogat etiam, ut Deus dignetur *attendere*, id est, *admittere preces*, et donare quod petitur.

3. *Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?* Iam exponit petitionem suam, quae est, ut Deus non iudicio utatur secum, sed misericordia. Sed hanc petitionem non simpliciter proponit, ne nimis audax videatur: sed mirabilem rhetoricam, et ab ipso Spiritu sancto haustam, adhibet, dum ait: *Domine, si iniquitates hominum observare volueris, omnes condemnabis*: non decet autem infinitam bonitatem tuam, omnes omnino perdere, igitur non debeo nimis audax videri, si peto, ut peccata mihi condones, et de hoc profundo eruas, in quod me *iniquitas* sola demersit. Vere autem si Deus sine misericordia nos iudicare velit, nemo omnino subsistet; nam offensio in Deum est infinitae magnitudinis, et nos sine gratia eius non solum condigne satisfacere non possumus, sed neque sufficientes sumus ad peccati gravitatem agnoscendam, vel ad dolorem pro admissis concipiendum, vel ad poenitentiam ipsam inchoandam, etc.

4. *Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine*. Vera poenitentia, quam in hoc psalmo propheta nos docet, duo potissimum requirit, cognitionem propriae miseriae, et cognitionem misericordiae divinae. Igitur David prius ostendit, se plane cognoscere miseriam suam, ex

cuius profundo clamavit: nunc ostendit, se nosse etiam misericordiam Dei maximam, et ideo, non obstante magnitudine vel multitudine peccatorum, se sperare veniam et salutem. Sic igitur ait: *Quia apud te propitiatio est*, etc., id est, quamvis nemo subsistere possit, si observare velis iniquitates nostras: ego tamen, quia novi te ex natura misericordem esse, et scio *apud te inveniri propitiationem*, et quia tu *legem* posuisti tibi, ut cum impenitentibus severissime te geras, cum poenitentibus misericorditer et suaviter; ideo *propter hanc legem tuam sustinui te, Domine*, sperans et expectans indulgentiam peccatorum.

5. *Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in Domino*. Hic iam incipit exhortatio ad alios, quos exemplo suo hortatur ad *spem* in Deo ponendam. Ego, inquit, in profundo miseriarum fui, sed non desperans de misericordia Dei; siquidem *anima mea* peccatorum vulneribus saucia *sustinuit*, id est, expectavit medelam *in verbo eius*, id est, iuxta promissiones eius. Saepe enim Deus in Deuteronomio et alibi promisit indulgentiam poenitentibus. Quod autem paulo obscurius dixerat, clarius repetit, dicens: *speravit anima mea in Domino*, nimirum indulgentiam se accepturam quam petebat. Multum autem valere debet Davidis exemplum: fuit enim ipse in profundo miseriarum, sive culpam, sive poenam respiciamus; et tamen, quia non desperavit, *sed speravit in Domino*, liberatus est.

6. *A custodia matutina usque ad noctem, speret Israël in Domino*. Quod ego, inquit, facio, omnis *Israël*, sive omnis populus Dei faciat: *speret* videlicet *in Domino*, cum in quocunque profundo fuerit; sive peccatis, sive peccatorum poenis prematur, in

Dei adiutorio confidat. *A custodia matutina usque ad noctem*, id est, tota die, a summo mane, usque ad noctem extremam ita ut nullo tempore desinat sperare in Domino. Itaque idem est, ac si dixisset, ab initio diei usque ad finem noctis: et hoc modo acceperunt hanc sententiam Chrysostomus, Euthymius et alii, qui scripserunt, nos hic admoneri, ut tota die et tota nocte, id est, semper speremus in Domino.

Observandum est, quod veteres dividerint noctem in quatuor partes, quarum quaelibet tres horas continebat, et dicebantur *custodiae*, sive *vigiliae*, quia *custodes*, sive *vigiles civitatum*, vel *castrorum*, tribus horis vigilando *custodiebant* civitatem, vel castra, ac deinde tradebant aliis officium vigilandi et *custodiendi*. Igitur *custodia* vel *vigilia matutina* dicitur tempus aurorae.

7. *Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio*. Reddit rationem cur oporteat semper in Deo confidere, et simul praedicat redemptionem generis humani, quae futura erat per IESUM CHRISTUM Dominum nostrum. Merito sperare possumus in Domino tota die ac nocte, quoniam *apud ipsum* semper est *misericordia*. Neque solum sperare debemus in Deum, quoniam *apud eum misericordia* est, sed etiam, quoniam *apud eum copiosa redemptio* est; nam *misericordia* Dei, quae generi humano *misereri* decreverat, ut iustitiae quoque satisfaceret, invenit ipsa pretium magnum, sanguinem videlicet Unigeniti, qui *redimeret copiosissime* omnes omnino captivos. Sed haec *redemptio apud Deum* erat cum psalmus iste scriberetur, id est, in consilio et decreto Dei: nunc autem *misericordia Domini plena est terra*, quando quotidie pretium illud in pretium captivorum expenditur. Dicitur au-

tem haec *redemptio copiosa*, quia *propitiatio est pro peccatis nostris, et non tantum pro nostris, sed etiam totius mundi*. I. Ioan. II, 2.

8. *Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius*. *Redemptio*, quae erat apud Deum, tum plane manifestabitur, cum *redimetur Israël*, id est, populus Dei, non ut iudaei carnales expectant, a potestate regum temporalium, sed ab *omnibus iniquitatibus suis*: quod angelus de Iesu Christo exposuit, cum ad s. Iosephum ait Matth. I, 21: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Haec *redemptio perfectissime complebitur in die novissimo*, cum liberabimur non solum a peccatis, sed etiam a poenis omnibus peccatorum, et a periculo deinceps peccandi. *Ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deletur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna*. Dan. c. IX, 24.

PSALMUS CXXX.

Synopsis

David in hoc psalmo sibi ipsi tribuit virtutem humilitatis, quoniam saepe accusatus fuerat superbiae et ambitionis, a quo vitio maxime abhorrebat. Est autem hic psalmus ex gradualibus unus, quoniam docet in quo humilitas vera consistat; et nulla est via securior ad ascendendum quam humilitas.

1. *Domine, non est exaltatum cor meum; neque elati sunt oculi mei*. *Securus propheta quod dicturus esset vera, Deum ipsum alloquitur, quem nemo fallere potest; dixit autem coram Deo, se vitio superbiae nunquam obnoxium fuisse, sive cor inter-*

num, sive signa *oculorum* externa considerentur. David igitur erat *humilis corde*, et eam humilitatem *oculis* praeferbat.

2. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Dixit de superbia cordis et oculorum, nunc addit de superbia verborum et operum: stabat enim David in gradu suo, in vera humilitate fundatus, ideo neque loquendo, neque operando ambulabat *super seipsum in magnis et mirabilibus*, id est, neque gloriabatur se *magna et mirabilia* fecisse supra vires suas, neque tentabat facere quae sciebat se non posse perficere.

3. *Si non humiliter sentiebam: sed exaltavi animam meam.* 4. *Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* Non contentus propheta ipsi Deo, qui corda scrutatur, dixisse, se ab omni superbia semper abhorruisse; idipsum confirmat iuramento execratorio; ut tanto maior fides ab omnibus verbis ipsius habeatur: dicit igitur: *Si non humiliter sentiebam* de me ipso, etc., supplendum est, puniar a Deo: nam si hebraeis est nota iurantis et execrantis. *Sicut ablactatus est super matre sua*, id est, et sicut infans recens *ablactatus* manet in sinu, vel super genna matris suae moestus et plorans, quia privatus est dulcedine lactis, ita *retributio in anima mea sit*; id est, sic *anima mea* privetur dulcedine consolationis divinae. Quantum sit hoc supplicium, quod sibi propheta sanctissimus imprecatur, soli illi intelligere possunt, qui eodem spiritu repleti gustaverunt, quam suavis et dulcis sit Dominus.

5. *Speret Israël in Domino, ex hoc nunc, et usque in saeculum.* Ex hac conclusione intelligi potest, quo tendat illa humilitatis praedicatio; non enim vir vere humilis animum habuit se laudandi, sed

admonendi populum suum, quam parum de se praesumere, et quam multum in Deo confidere debeat. *Speret Israël in Domino*, q. d. Si ego rex et propheta non me efferre audeo, neque de me ipse praesumo, sed omnem spem meam in Deo collocatam habeo; certe par est, ut populus meus *Israël*, qui etiam populus Dei est, non se existimet aliquid esse, cum nil sit, neque in viribus suis confidat, sed omni tempore *speret in Domino*.

PSALMUS CXXXI.

Synopsis

Salomon post templi aedificationem cecinit hunc psalmum, quem a Davide compositum accepisse videtur. Continet primo commemorationem ardentissimi desiderii quo tenebatur David aedificandi templi. Secundo petitionem ad Deum, ut stabiliatur regnum in domo David, ut sanctificentur ministri Domini, etc. Numeratur hic psalmus inter graduales, tum quia canebatur a populo redeunte a captivitate, tum ut admoneatur spiritualis peregrinus, quanto fervore flagrare debeat in aedificando spirituali templo.

1. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis eius.* Haec verba Salomonis sunt, qui Deum orat per merita patris sui *David*. *Memento*, inquit, *Davidis*, amici tui, et meritorum eius, inter quae praecipuum fuit studium *mansuetudinis*. Huius ergo, omissis aliis virtutibus, Salomon meminit, tum quia *mansuetudo* in *Davide* potissimum eluxit; tum quia *mansuetudo* mirabiliter placet in oculis Dei, quia individua comes est humilitatis et caritatis.

2. *Sicut iuravit Domino, votum vorit Deo Iacob:*

3. *Si introiero tabernaculum domus meae, si ascen-*

dero in lectum strati mei: 4. Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem. 5. Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino; tabernaculum Deo Iacob. S. Hieronymus et Chaldaeus pro *sicut*, habent qui David iuravit et vovit se non intraturum domum suam, nec in lectum ascensurum; imo etiam neque extra lectum dormiturum, aut quietem ullam capturum, donec inveniret locum quietis arcae Dei. Quando autem dicit *donec inveniam locum Domino*, per *locum* non intelligitur situs, sed templum quod erat futurum *locus*, id est, *tabernaculum Dei*; quod explicatur per vocem sequentem, *tabernaculum Deo Iacob*, id est, donec tale templum extruxero, ut in eo digne posset arca Domini collocari. Porro verba illius *iuramenti* non videntur stricte accipienda, sed proprie significant sollicitudinem magnam rei faciendae. Quo tempore David hoc *votum voverit*, non habetur expresse in divinis literis, sed tamen colligi videtur ex lib. II. Reg. c. vii, ubi iussit Deus per Nathan significari Davidi, non velle, ut ipse aedificaret templum, sed hanc provinciam filio suo relinqueret.

6. *Ecce audivimus eam in Ephrata; invenimus eam in campis sylvae.* Affert rationem cur David optaverit templum Domini aedificare, quoniam arca Domini propriam sedem et stabilem non habebat. *Ecce audivimus eam*, arcam videlicet fuisse in *Ephrata*, id est, in terra Ephraim, quando nempe erat in Silo tempore Samuelis, I. Reg. c. iv: deinde *invenimus eam in campis sylvae*, I. Reg. c. vi, quando, dimissa a Philisthaeis, *inventae* est in agro Iosue Bethsamitae, qui locus *sylvosus* erat. Ita s. Chrysostomus, Euthymius, et alii.

7. *Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.* Exposito voto et

desiderio patris sui Davidis, reducturus Salomon arcam in templum a se aedificatum, ait: *Introibimus in tabernaculum eius*, Dei scilicet, iam erectum et constructum in monte Sion, *et adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius*, id est, *adorabimus conversi ad arcam sanctam, quae est scabellum, ubi steterunt, ac stare solent pedes eius*. In Hebraeo clarius habetur: *Adorabimus scabellum pedum eius*. *Adorabant* enim hebraei arcam, non ut Deum, sed ut scabellum *pedum eius*.

8. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*. Introducturus Salomon arcam in templum, poëtico more eam ad ingrediendum et inhabitandum invitat. *Surge*, inquit, *Domine*, e tabernaculo mobili et vago, et ingredi in domum tuam propriam, in qua deinceps *requiesces*. Explicat autem se loqui Domino, non ut est in se, sic enim coeli coelorum Dominum non capiunt, sed ut peculiari modo in *arca* testamenti erat, et ideo addit: *Tu, et arca sanctificationis tuae*, id est, tu cum throno tuo et scabello pedum tuorum, quod scabellum est *arca sanctificationis tuae*, id est, tibi *sanctificata* et consecrata, et in qua tu *sanctificaris* et honoraris. Allegorice hic versus applicatur Christo e terris in coelum ascendenti.

9. *Sacerdotes tui induantur iustitiam: et sancti tui exultent*. Introducta iam arca in templum, orat Salomon pro *sacerdotibus* et pro rege, id est, pro se, nam ab his dependet salus totius populi. Pro *sacerdotibus* duo postulat, ut sint *iusti* et *sancti*, et ut alacriter officio suo fungantur. *Sacerdotes tui induantur iustitiam*, id est, non solum *iusti* sint intus in corde, sed etiam exterius in omni vita. Vestis enim *sacerdotalis*, unde metaphora desumitur, significabat *iustitiam* et puritatem tam internam,

quam externam. *Et sancti tui exultent*, id est, et iidem sacerdotes, qui sancti tui proprie sunt, *exultent* alacriter laudando te, et sic bene fungantur munere suo.

10. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.* Orat nunc pro se Salomon, et ut facilius impetret, adducit merita patris sui. *Propter David servum tuum*, id est, propter fidele obsequium, quod tibi praestitit pater meus, *non avertas faciem Christi tui*, id est, non facias ut ego, qui loco patris mei unctus sum in regem populi tui, confusus recedam a te, reiecta videlicet prece mea.

11. *Iuravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hic iam incipit commemorare promissiones Davidi a Deo factas, ut iis commemoratis facilius impetret quod petit. *Iuravit Dominus David veritatem*, id est, rem per se veram ex Dei promissione, certiolem et firmiorem reddidit ex iuramento: *et non frustrabitur eam veritatem*, id est, non irritum faciet iuramentum, quod alias dicitur: *iuravit et non poenitebit eum*. S. Hilarius legit, *non frustrabitur eum*, scilicet *Davidem*; sensus est idem. *De fructu ventris tui*, etc., dabo tibi successorem in regno filium tuum: quae verba de Salomone dicuntur, ut typum Christi gerebat.

12. *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea haec, quae docebo eos.* 13. *Et filii eorum usque in saeculum, sedebunt super sedem tuam.* Iuramentum et promissio sine poenitentia est de uno filio, id est de Christo, cuius regni nullus unquam erit finis; sed de aliis filiis promissio conditionata est, si scilicet *custodierint testamentum*, id est, foedus Domini de non habendis diis alienis, et si *custodierint testimonia*, id est, praecepta Dei,

sedebunt super sedem tuam, sin minus proiicientur. Illud *usque in saeculum* non coniungitur cum *sedebunt super sedem tuam*, sed cum verbis praecedentibus, ut sensus sit: *Si filii tui et filii eorum custodierint pactum et praecepta usque in saeculum*, id est, si perseveraverint in timore Dei, non deturbabuntur a solio regni tui; si autem non perseveraverint, regnum ipsorum ad alios transferetur, ut factum est, et experientia docet.

14. *Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.* 15. *Haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.* Posset haec aliquo modo accommodari ad arcem, sive civitatem *Sion* terrenam; sed potius dicendum est haec pertinere ad Ecclesiam, quae est regnum Christi, et ipsa est Ierusalem et *Sion*, de qua diximus in psalmo 2. Iuravit igitur Deus Davidi, se positurum et stabiliturum filium eius Christum super sedem eius, quae est *Sion*, quae ideo dicitur civitas David, quia *elegit Dominus Sion*, id est Ecclesiam, *in habitationem suam* perpetuam; et de ea dixit: *Haec requies mea in saeculum saeculi*, id est, non deseram unquam hanc Ecclesiam, sed in ea perpetuo requiescam, quoniam transferam eam ad perfectam beatitudinem in coelis, et ibi *habitabo* in ea in sempiternum.

16. *Viduae eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus.* Hic versus cum sequentibus promittit civitati David, quae est *Sion*, multa bona, quae utcumque applicari possunt terrenae civitati, sed ipsi Ecclesiae, cuius illa figura fuit, proprie conveniunt. Primo igitur promittit abundantiam rerum temporalium tantam, ut etiam *viduae* quae solent esse maxime destitutae, et alii *pauperes satiari* possint: *benedictio* enim Dei in Scripturis abundantiam

significare solet, etc. Sed haec abundantia in sensu altiore significat copiam cibi spiritualis verbi Dei et sacramentorum, quibus abundant filii Ecclesiae, illi praesertim, qui sunt spiritu pauperes.

17. *Sacerdotes eius induam salutari; et sancti eius exultatione exultabunt.* Alterum bonum sanctae civitatis erit, quod *sacerdotes eius sanctitate* et *iustitia* conspicui erunt, *salus enim animae iustitia* est. Et quia precatus fuerat Salomon, ut *sacerdotes* induerentur *iustitiam*, ideo nunc dicit Deus, se id effecturum. Illud autem *et sancti eius exultatione exultabunt*, respondet ei, quod antea dictum erat *et sancti eius exultent*.

18. *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.* Tertium bonum et quidem maximum sanctae Sion erit, quod ibi oriatur regnum David, nam *illuc* accipiendum est pro *illic*, id est, in Sion. Per *cornu* significatur metaphorice potestas et excellentia regia. Significatur autem ad litteram per *cornu David*, regnum Messiae, quod erat inchoandum in Sion, et inde per totum mundum propagandum. *Paravi lucernam Christo meo*, id est, *illuc producam cornu David*, quia *paravi lucernam*, id est filium, successoremque eius Messiam *Christo meo Davidi*, id est, quasi explicatio eius, quod antea dixerat: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Scriptura enim saepius vocat *lucernam* filium sive posteros, nam in filiis parentes vivunt et *lucent*. Ss. Hieronymus et Augustinus hunc versum exponunt de praecursore Domini et ipso Domino, ut *lucerna* sit Ioannes et Christus Dominus Iesus.

19. *Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem effloret sanctificatio mea.* Praedicat Christum multos habiturum inimicos, sed praedicat quoque poenam eorum: *inimicos eius induam confu-*

sione, id est, implebo ignominia maxima; quod etiam cum iudaeis impletum esse scimus, et oculis nostris videmus; sed in die novissimo, non solum iudaei, sed etiam omnes gentiles, et haeretici, et omnes falsi fratres, qui Christo in membris eius inimici fuerunt, *induentur confusione*. *Super ipsum autem*, id est, super Christum *efflorescit sanctificatio mea*, id est, Christus *induetur gloria*: nam *sanctificatio*, quae in hoc mundo erat quasi semen absconditum in terra, tunc *florescit in gloriam*, id est, germinabit flores *sanctificationis*. Nec solum Christus, sed etiam omnia membra eius *induentur gloria*, quia tunc *sanctificatio* emittet flores incredibilis pulchritudinis, quando gratia vertetur in gloriam.

PSALMUS CXXXII.

Synopsis

Commendatur concordia fratrum: videtur autem hic psalmus compositus, ut a Iudaeis cantaretur, quando post reditum a captivitate, et reaedificata civitate et templo coeperunt simul pacifice habitare, sublato schismate, quod erat inter regnum Israël et regnum Iuda. Sed convenit etiam omni multitudini, ubi viget concordia et communio, etc.

1. *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum!* Vox est eorum, qui iam experiri et gustare coeperunt utilitatem et dulcedinem perfectae charitatis. Vocat *bonum*, id quod est utile, et *iucundum* id quod est dulce; nam in concordia et pace *fratrum simul habitantium* haec duo coniuncta inveniuntur.

2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* 3. *Quod descendit in oram vestimenti eius: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Duabus similitudinibus explicat iucunditatem et utilitatem habitantium in unum; ac primo iucunditatem comparat unguento pretioso, quo ungebatur caput summi pontificis, quod erat odoris suavissimi, ut patet ex c. xxx. Exodi, quod quidem unguentum effusum in caput pontificis, inde defluebat ad barbam, et a barba in oram vestimenti, in illam scilicet partem, quae circumdat collum, quae immediate subiecta est barbae; et sic fragrantia sua mire recreabat tum pontificem ipsum, tum praesentes omnes; ita concordia fraterna mire oblectat Deum et homines. Deinde comparat utilitatem eorundem fratrum habitantium in unum, rori qui descendit in montem: nominat autem duos montes Hermon et Sion, qui licet a se valde dissiti sint; nam Sion, est in medio Iudaeae, Hermon in extremo iuxta Iordanem, vicinus Libano; tamen coniuncti erant, quoad similitudinem qualitatum, cum uterque sit verus mons, et unus maior et altior, videlicet Hermon, alter minor et humilior, id est Sion: ex quo voluit nos Spiritus sanctus admonere, coniunctionem fratrum habitantium in unum debere esse cordium magis quam corporum, uti habetur Actor. 4. Dicit igitur, bonum utilitatis habitantium in unum est sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion: id est, concordia fratrum est e caelo, et foecundissima est, sicut ros qui descendit in montem Hermon: item sicut ros qui descendit in montem Sion. Ita Tirinus, vel ut Le Blanc habet; perfecta concordia similis est rori in montem Hermonem decidenti, et rori montem Sionem recreanti et foecundanti.

4. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in saeculum.* Reddit rationem, cur bonis abundet conventus fratrum concorditer, pacificeque viventium. *Quoniam illic mandavit Deus benedictionem*, id est, illuc misit Dominus benedictionem suam, quae est fons omnium bonorum; quia igitur Deo gratissima est concordia et caritas fraterna, ideo replet eam copia bonorum omnium: et id non ad breve tempus, sed in aeternum: nam ideo cum benedictione misit ad eos vitam usque in saeculum, quae omnia hic in terris habentur in spe, sed in patria habentur in re. Ibi enim perfecta est concordia, ibi unguentum perfectae charitatis continuo defluit a capite Christi in omnia membra, et ros luminis gloriae: ibi est benedictio Domini, id est, affluentia omnium aliorum bonorum, ibi denique est vera vita usque in saeculum, quae nunquam deficiet. Ita fere Bellarminus.

PSALMUS CXXXIII.

Synopsis

Psalmus hic gradualium postremus est, qui eos, qui iam feliciter ascenderunt, hortatur, ut vacent perpetuis laudibus. Pertinet suo modo ad eos, qui post aedificationem templi in eo habitabant, et ad eos, qui dum peregrinantur in terra, corde habitare nituntur in coelo.

1. *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini.* Ecce, inquit, nunc liberati a tentationibus et persecutionibus, tempus est, ut toti intenti sitis laudibus Domini; proinde benedicite Dominum vos omnes servi Domini, qui non habetis aliud, in quo illi iam serviatis, nisi in persolvendo tributo perpetuae laudis et gratiarum actionis.

2. *Qui statis in domo Domini, in atriiis domus Dei nostri.* Id est: Benedicite Dominum, vos sacerdotes, *qui statis in domo Domini*, et qui *in atriiis*, id est, vos Levitae, qui in atrio interiori, et laici, qui in exterioribus *statis*, vel in altiori sensu: Vos, *qui statis in domo Domini*, id est, qui iam permanentem habetis *domum*, et non amplius tanquam peregrini in tentoriis habitatis: et praeterea *statis*, id est, securi consistitis non timentes casum: qui non solum *domum*, sed etiam *atria* possidetis, ita ut et interiorem *domum*, ubi Deus videtur, et etiam exteriorem, ubi videntur creaturae, quae sunt velut *atria*, felicissime habeatis.

3. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.* Tempus maxime opportunum orandi et laudandi Deum *nox* est, quando quies ubique esse solet; recte igitur admonet propheta servos Dei, ut nocturno potissimum tempore *extollentes manus in sancta*, id est, *sancta* sanctorum, ubi erat propitiatorium et arca Dei, *benedicant Dominum*. Moraliter significat hic versus servos Dei debere *benedicere Deum*, non solum in die prosperitatis, verum etiam *in nocte* adversitatis. Sed in sensu praecipue intento significatur, in coelesti patria, sicut semper est dies, si de luce et tenebris agatur, ita semper esse *noctem*, si agatur de labore et quiete. Intransibus enim illam requiem dicit spiritus *ut requiescant a laboribus suis*: et illa est *nox* de qua dicitur in psalm. cxxxviii; *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*. In his igitur quietissimis sed lucidissimis *noctibus*, *extollite manus vestras*, beati servi Dei, et ad sanctuarium verum, ubi Deus ipse residet conversi *benedicite Dominum*.

4. *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit coelum et terram.* Hortatus est propheta servos Dei, ut

assidue Dominum benedicant: nunc vicissim ipse *benedictionem* illis a Domino precatur, eamque praedicit, q. d. Hoc si feceritis, Deus, qui peculiari erga vos benevolentia sedem sibi et gloriae thronum in Sione eligere dignatus est, vos omni *benedictione* complebit. Utitur autem numero singulari, quia videbat eos ita esse glutino caritatis unitos, ut essent unum in Domino. Illi igitur unitati dicit: *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit coelum et terram.* Ita Bellarminus, Le Blanc, et alii.

PSALMUS CXXXIV.

Synopsis

Invitat omnes ad laudandum Deum ob beneficia praestita Israëli et orbi universo: Titulus est: Alleluia.

1. *Laudate nomen Domini: laudate, servi, Dominum.* 2. *Qui statis in domo Domini, in atris domus Dei nostri.* Hoc psalmi initium, quod idem est cum initio superioris psalmi videtur speciali quadam ratione convenire sacerdotibus, quorum officium est stare in domibus Deo sacris, et ipsi Deo immediate et proprie ministrare.

3. *Laudate Dominum, quia bonus Dominus; psallite nomini eius, quoniam suave.* 4. *Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israëli in possessionem sibi.* Tres rationes adducit, quibus persuadeat, laudandum esse Dominum. 1^o Quoniam Deus dignissimus est omni laude, quia bonus Dominus, bonum enim laude, malum vituperatione dignum est. 2^o Quia id nobis bonum et iucundum, quoniam suave est nomen eius, id est, quoniam istud psallere et laudare, non erit vobis opus molestum et laboriosum,

sed dulce, iucundum, suave. 3^o Quia tenemur, cum nos praeter caeteras gentes in populum peculiarem sibi delegit, et maximis beneficiis affecit. Quoniam *Jacob elegit*, etc., id quod adhuc magis de populo christiano dici potest.

5. *Quia ego cognovi quod magnus est Dominus, et Deus noster prae omnibus diis.* 6. *Omnia quaecumque voluit, Dominus fecit in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Respondet propheta obiectioni, quae fieri poterat, cur ipse tanto ardore invitaret ad laudes Domini. *Quia*, inquit, *cognovi, quod magnus est Dominus*, etc., et ideo silere non possum, et ad mecum canendum, et psallendum omnes invito. Deinde ab omnipotentia probat, Deum magnum esse, et maiorem omnibus diis: *omnia quaecumque voluit Dominus*, etc.

7. *Educens nubes ab extremo terrae: fulgura in pluviam fecit.* Ponit aliquot exempla eorum, quae Deus facit, quando vult in aëre, in terra, etc., et primo ponit exemplum in *nubibus* quae oriuntur ex terra. *Educens nubes*, id est, elevans exhalationes et vapores *ab extremo terrae*, id est, ab ultimis *terrarum* oris, maxime ex mari et magnis fluminibus, e quibus vi solis vapores et exhalationes rursus elevantur, et in *nubes* compinguntur. Et adhuc mirabilius est quod sequitur: *fulgura in pluviam fecit*, ubi *in pluviam* positum est, pro *in pluvia*, ut sensus sit: Deus *in pluvia* fecit *fulgura*, id est, inter *pluviam* miscuit *fulgura*, quae res omnino mirabilis est; nam *fulgura* sunt ardentia, arentia, acutissima: et *pluvia* res est humida, frigida, mollis, et tamen nec *fulgura* absumunt aquam, nec *pluvia* extinguit *fulgura*. Ita ss. PP. Hilarius, Chrysostomus, et alii.

8. *Qui producit ventos de thesauris suis: qui per-*

cussit primogenita Aegypti ab homine usque ad pecus. 9. *Et misit signa et prodigia in medio tui, Aegypte: in Pharaonem, et in omnes servos eius.* Tertium exemplum magnitudinis Dei sumitur a generatione ventorum, qui quidem quotidie sentiuntur a nobis, et tamen nihil est obscurius generatione eorum. Illud *de thesauris suis* metaphoricum est, quia ita repente producuntur a Deo, quasi *educerentur ex thesauris*, id est, de locis absconditis. Huic exemplo coniungit propheta quartum de occisione omnium *primogenitorum Aegypti*, et adiungit denique in summa *omnia signa et prodigia*, quae fecit Deus per Moysen *in Aegypto*, quae habentur in Exodo c. VII, VIII, IX, X, XI et XII.

10. *Qui percussit gentes multas et occidit reges fortes:* 11. *Sehon regem Amorrhaeorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan.* 12. *Et dedit terram eorum haereditatem, haereditatem Israël populo suo.* Post mirabilia Dei edita in Aegypto, addit mirabilia edita in itinere adversus duos potentissimos *reges Sehon et Og*. Num. XXI. Et denique addit mirabilia, quae fecit Deus in ipsa terra promissionis adversus triginta et unum reges, qui regnabant in illis provinciis: ubi multa miracula acciderunt. Videatur Lib. Ios. c. VI, X et XII.

13. *Domine, nomen tuum in aeternum: Domine, memoriale tuum in generationem et generationem.* 14. *Quia iudicabit Dominus populum suum; et in servis suis deprecabitur.* Q. d. Propter haec tanta mirabilia, *Domine, nomen tuum*, memoria tua, fama tua *in aeternum* vigebit: et ipsum more suo repetens, *Domine, inquit, memoriale tuum*, id est, recordatio nominis tui *in generationem et generationem* permanebit. Et semper manebit celebris *memoria Dei*, quia Deus semper, ut hactenus fecit,

iudicabit populum suum, id est, iusto iudicio vindicabit de persequentibus eum, puniens iniquos hostes eius. *Et in servis suis deprecabitur*, id est, erga servos suos exorabilis erit. Illud *deprecabitur* sumitur passive pro *exorabitur*.

15. *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum.* 16. *Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt:* 17. *Aures habent, et non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.* Probat denuo David, Deum magnum esse prae omnibus diis, quod in v. v dixerat: probat autem ab infirmitate ipsorum daemonum, qui simulacris suis non potuerunt dare sensum et vitam, quomodo Deus verus *simulacro* suo, quod est homo, dedit spiritum vitae, sensum et motum, et quod est excellentius, dedit rationem et arbitrii libertatem. De *simulacris gentium* videatur psalmus cxiii.

18. *Similes illis fiant qui faciunt ea; et omnes qui confidunt in eis.* 19. *Domus Israël, benedicite Domino: domus Aaron, benedicite Domino:* 20. *Domus Levi, benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino.* Facta collatione veri Dei cum diis falsis, confert cultores falsorum deorum cum veri Dei cultoribus, et illis praedicat per modum imprecationis *similitudinem* deorum suorum, videlicet illos fore etiam mutos, caecos et surdos, quoad vera bona intelligenda, quaerenda et laudanda; cultores autem Dei invitat ad *benedicendum Dominum*, quoniam cultores Dei vident, audiunt, loquuntur, ut imagines vivae Dei viventis, et ideo debent exercere linguam ad laudandum Deum, a quo habent sentire, videre, intelligere. Invitat autem primo in genere *domum Israël*, sive populum Dei: deinde per partes *domum Aaron*, quia illa erat *domus sacerdotalis*; tum *domum Levi*, unde erant

Levitae, qui sacerdotibus ministrabant. Denique omnes *timentes Deum*, id est, laicos omnes.

21. *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Ierusalem.* Concludit orans, ut *ex Sion* procedat *benedictio Domini, qui habitat* tanquam in propria regia sua *in Ierusalem*, id est, ut omnes cives *Sion et Ierusalem* non cessent *benedicere Domino*, qui rex magnus est, et *in Ierusalem* sedem regni sui collocavit. Haec conveniunt Ecclesiae militanti, sed multo magis triumphanti.

PSALMUS CXXXV.

Synopsis

Hic psalmus eandem cum superiore materiam, et eundem titulum habet. Invitat populum Dei ad laudem misericordiae Dei, et in singulis versiculis repetit: quoniam in aeternum misericordia eius, ut ostendat omnia opera Dei sive ad creationem, sive ad providentiam, sive ad redemptionem pertineant, ex infinita misericordia profecta esse.

1. *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in aeternum misericordia eius.* 2. *Confitemini Deo deorum: quoniam in aeternum misericordia eius.* 3. *Confitemini Domino dominorum, quoniam, etc.* In his tribus versibus laudatur Deus trinus ab his, quae in se habet: in sequentibus autem laudatur ab operibus suis. Prima confessio tribui potest personae Patris, quoniam ipse est fons omnis boni. Secunda confessio potest tribui personae Filii, quoniam ipse *Deus deorum*, sive angelos, sive homines, qui, ut alias diximus, saepe *di* vocantur, intelligamus; ipse enim est Filius Dei naturalis, caeteri adoptati. Tertia confessio tribui potest Spiritui sancto, qui

amor increatus, et omnipotens est, cui omnia serviunt.

4. *Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in aeternum*, etc. In hoc versu, ut et in caeteris omnibus, subintelligitur: *Confitemini Domino*. Incipit igitur laudare Deum ab operibus magnis et mirabilibus, quae solus ipse facere potuit, qualia sunt opera creationis, etc.

5. *Qui fecit coelos in intellectu: quoniam in aeternum*, etc. Primum opus Dei fuit coelum. Gen. i. *Fecit autem Deus coelum*, sive *coelos in intellectu*, id est, sapientia sua, sive per sapientiam suam, aut sapientissime. Nam per hoc *in intellectu*, non intelligitur, quod *coeli* intellectu praediti, aut animati, et aliquando beandi sint, ut voluerunt platonici. *Fecit autem, quoniam in aeternum misericordia eius*, id est, quia placuit ei *coelos* ex nihilo educere, et simul parare aeternam domum angelis et hominibus.

6. *Qui firmavit terram super aquas: quoniam*; etc. Alterum opus principale fuit *terra*. Dicitur autem *terra* stabilita *super aquas*, quia superficies *terrae* magna ex parte altior est superficie *aquae*. In hoc facto *misericordia* Dei cernitur potissimum respectu hominum, quibus dedit *terram aquis* discoopertam, et tamen *aquis* irrigatam, ut possent in ea degere, eam colere et frugiferam reddere.

7. *Qui fecit luminaria magna: quoniam*, etc. 8. *Solem in potestatem diei; quoniam*, etc. 9. *Lunam et stellas in potestatem noctis: quoniam*, etc. Tertium opus magnum et mirabile fuit fabricatio *solis, lunae et stellarum*, quae coelum mirifice exornant; et *terrae* mirifice prosunt. Dicuntur omnia *luminaria magna*, quia revera maiora sunt, quam ut a nobis eorum magnitudo comprehendi possit. Dicitur

sol factus in potestatem, sive ut Chaldaeus habet in dominium diei, et luna cum stellis in potestatem noctis, quia lucendo et illuminando praesunt operibus nostris, tam diurnis, quam nocturnis.

10. *Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum: quoniam, etc.* 11. *Qui eduxit Israël de medio eorum: quoniam, etc.* 12. *In manu potenti, et brachio excelso: quoniam, etc.* 13. *Qui divisit mare rubrum in divisiones: quoniam, etc.* 14. *Qui eduxit Israël per medium eius: quoniam, etc.* 15. *Et excussit Pharaonem, et virtutem eius in mari rubro: quoniam, etc.* 16. *Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam, etc.* 17. *Qui percussit reges magnos: quoniam, etc.* 18. *Et occidit reges fortes: quoniam, etc.* 19. *Sehon regem Amorrhaeorum: quoniam, etc.* 20. *Et Og regem Basan: quoniam, etc.* 21. *Et dedit terram eorum haereditatem: quoniam, etc.* 22. *Haereditatem Israël servo suo: quoniam, etc.* In his versibus laudatur Deus ab opere providentiae: et sunt omnia perspicua tum ex libro Exodi, tum ex psalmo superiore. Porro quia haec omnia respectu populi Dei fuerunt opera misericordiae, et quia liberatio populi erat praecipue a Deo intenta, ideo illa omnia tribuuntur simpliciter misericordiae, quamvis respectu impiorum fuerint opera iustitiae.

23. *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam, etc.* 24. *Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam, etc.* Illud quia refertur ad illa verba, quae in singulis versibus subintelliguntur, nimirum, *Confitemini Domino*, ut sensus sit: *Laudate Deum, quia in humilitate, id est, in varia afflictione et tribulatione nostra memor fuit nostri, etc.*

25. *Qui dat escam omni carni: quoniam, etc. q.*

d. *Confitemini Domino* omnes omnino, etiam qui persecutiones non patimini, quia ipse est qui nutrit et conservat omnem creaturam viventem, ac praecipue hominem.

26. *Confitemini Deo coeli: quoniam*, etc., 27. *Confitemini Domino dominorum: quoniam in aeternum misericordia eius.* Concludit repetendo duos ultimos versus ex primo ternario: nam per *Deum coeli* intelligit *Deum deorum*, ut notat s. Augustinus. Dicitur enim *Deus coeli*, tum quia ipse *coelum* fecit, tum quia residens in summo *coelo* tanquam in proprio throno, hoc ipso demonstrat *Deum deorum* se esse.

PSALMUS CXXXVI.

Synopsis

Lugent Iudaei suam captivitatem in Babylonia: in altiori sensu Ecclesia, et quivis fidelis, exilium suum in hoc mundo. Titulus psalmi est: Psalmus David Ieremiae. Inscribuntur autem Ieremiae, quia compositus fuit a Davide praevidente, et praedicente captivitatem Babylonicam, quam postea Iudaeis imminentem Ieremias praedicavit, et praesentem deploravit.

1. *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.* Verba sunt captivorum in *Babylonia*, qui ad ripas *fluminum*, quibus ea provincia abundat, quandoque fessi sedebant, et ex recordatione et desiderio patriae flebant. *Super flumina*, id est, iuxta *flumina*. Tigrim praesertim et Euphratem. Haec eadem verba sunt spiritualiter electorum Dei, qui corpore captivi tenentur in mundo, et *super flumina Babylonis*, quae sunt bona temporalia, consistentes, ad supernam patriam su-

spirant. Illi igitur coelestis patriae cives sunt, et ad *Babyloniam* non pertinent, qui rebus temporalibus supererminent, et illarum desiderio non abripiuntur: qui sedent ad ripas *fluminum*, sive in humili loco, nec superbe sapiunt, qui denique gemunt ac plorant captivitatem suam *dum recordantur* dulcissimae patriae, quae est in sancto monte *Sion*.

2. *In salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra.* Captivi hebraei *organa* laetitiae, sive citharas, ut est in Hebraeo, id est, omnia instrumenta musica, suspendebant *in salicibus*, id est, ad *salices fluminum*, *in medio* regionis babilonicae, id est, palam et publice babiloniis videntibus abiiciebant instrumenta laetitiae, ut ostenderent sibi fletum magis cordi esse quam cantum. Quod ipsum imitantur electi, qui intelligentes exilium suum dicunt cum propheta: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum.*

3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum;* 4. *Et qui adduxerunt nos; Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Sensus est: *Suspendimus organa*, et nolimus illis uti, ne sacra *cantica* irrisioni gentilium exponerentur, *quia ii, qui nos captivos duxerunt, illic, in sua regione, interrogaverunt nos verba cantionum*, id est, de *verbis cantionum*, et dixerunt, *qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Per *verba cantionum* intelliguntur *cantica*, q. d. *interrogaverunt nos de canticis nostris*, cur videlicet non *caneremus*, ut in patria nostra faciebamus. Posset etiam illud *interrogaverunt* verti *rogaverunt*, ut sensus sit, *petierunt ut caneremus.*

5. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Haec est responsio captivorum ad petitionem illam: *Cantate nobis, etc. q. d. Se ob moero-*

rem captivitatis non posse *cantare cantica* laeta, ut in patria sua solebant. Mystice viri iusti, scientes laetitiam propriam esse patriae, gemitum exilii, dicunt: *Quomodo* possumus laetis *canticis* operam dare, inter tot pericula et tentationes? Hic notat Bel-larminus, illos *cantare canticum Domini in terra aliena*, qui sacros hymnos et psalmos ita decantant, ut carnalem aurium voluptatem solum, aut praecipue quaerant. *Cantica* sacra instituta sunt ad mentem erigendam in Deum, et spiritum potius quam corpus recreandum: contra autem nonnulli sunt, qui *canticum* Babyloniae in domum Dei, et sanctam Sion inducunt; illi videlicet, qui verba sacra modulis profanis ita vestiunt, ut qui audiunt, non tam verba considerent, quam profanam modulationem attendant. Haec ille.

6. *Si oblitus fuero tui, Ierusalem, oblivioni detur dextera mea.* 7. *Adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui:* 8. *Si non proposuero Ierusalem in principio laetitiae meae.* Nunc totus populus introducit iurans et firmiter statuens, se nunquam *oblivioni* mandaturum patriam: et imprecatur itaque sibi, ut manus, qua pulsari solet cithara, exarescat, *oblivioni detur dextera mea*, et lingua, quae cantui deservit, *adhaereat* immobilis *faucibus* si unquam *obliviscatur* patriam, et in signum *oblivionis* pulsare citharam, vel canere canticum Domini in terra aliena decreverit. Imo nisi *proposuerit Ierusalem in principio laetitiae suae*, id est, nisi *Ierusalem* fuerit initium et summa omnis *laetitiae*. Haec est certa nota electorum, si neque in prosperis, neque in adversis obliviscantur patriae supernae, et si nulla in re serio *laetari* noverint, nisi in desiderio et spe coelestis *Ierusalem*.

9. *Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die*

Ierusalem; 10. *Qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*: 11. *Filia Babylonis misera: Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.* 12. *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram.* Praedicat David in fine psalmi perditionem *idumaeorum et babiloniorum*, qui persecuti sunt filios *Israël*: *babilonii* enim everterunt *Ierusalem*, et transtulerunt hebraeos captivos in *Babiloniam*: *idumaei* autem ad hoc hortati sunt *babilonios*. Memor, inquit, esto, Domine, filiorum *Edom* (sic dictus est *Esau*, a quo *idumaei* descendebant) quid videlicet egerint in die *Ierusalem*, id est, quando *Ierusalem* affligebatur a *babiloniis*. Quid autem egerint, sequitur: *Qui dicunt*, id est, qui dicebant *babiloniis*: *Exinanite*, evacuate, effodite usque ad fundamentum in ea, id est, evertite eam a fundamentis. Transit deinde ad *Babiloniam*, et per modum imprecationis praedicat eius ruinam: *Filia*, inquit, *Babilonis misera*, id est, civitas *Babilon*, quam ego miseram esse praevideo. *Beatus qui retribuet*, etc., id est, rex medorum et persarum beatus erit, quia prosperabitur adversus te, et retribuet tibi mala, quae retribuisti nobis. Quod factum esse testatur *Daniel* c. v, et *Isai*. c. xiii praedixit, quod hoc loco *David* etiam praedixit, tanta crudelitate saevituros medos et persas in *babilonios*, ut etiam infantes eorum ad parietes allisuri sint, et sine ulla miseratione interfecturi. Spiritualiter et allegorice haec omnia intelligi possunt de iudaeis, qui per *idumaeos*, et de paganis, qui per *babilonios* significantur. Vel moraliter de hominibus carnalibus, qui per *idumaeos*, et de daemonibus, qui per *babilonios* intelliguntur. Uti fusius explicat *Bellarminus* fol. 1015.

PSALMUS CXXXVII.

Synopsis

David Deum laudat et gratias agit pro variis beneficiis, praesertim quod praeviderit Christi Messiae gloriam et conversionem gentium. Titulus: Ipsi David.

1. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei. Videlicet orationem meam.*

2. *In conspectu angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.* Declarat confessionem suam fore talem, qualem requirit excellentia auditorum. *In conspectu angelorum psallam tibi*, id est, scio me psallentem tibi ab angelis, qui tibi assistunt, videri et attendi; et ideo devote psallam. Certe, si nos quoque, cum psalmos recitamus aut canimus, cogitarem nos ab angelis sanctis videri et audiri, ac nostram attentionem devotionemque laudari, et contra evagationes, negligentiamque reprehendi; longe aliter psalleremus quam nunc saepe facimus. Illud *adorabo ad templum sanctum tuum* potest accipi de templo sive tabernaculo in quo erat arca Dei, et potest sensus esse, *adorabo in templo*. Vel etiam *adorabo ad templum*, id est, versus templum, quod faciebant hebraei, quando aberant a Hierosolyma. Credibile tamen est, Davidem de templo coelesti locutum esse, ubi sunt angeli.

3. *Super misericordia tua et veritate tua: quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.* Id est: Haec erit materia confessionis et laudis, scilicet in toto corde laudabo te *super misericordia et veritate*, sive fidelitate tua, qua, sicut promisisti patribus, misertus generis humani, magnificasti San-

ctum, id est, Christum tuum super omne nomen, quia dedisti ei nomen, quod est super omne nomen. Potest etiam per nomen intelligi potentia et gloria, et tunc sensus erit: *Magnificasti* Filium tuum super omnem potentiam et gloriam, quam alii a te acceperunt. Ita fere s. Hieronymus et alii.

4. *In quacunq[ue] die invocavero te, exaudi me; multiplicabis in anima mea virtutem.* Ex eo, quod magnificasti Sanctum tuum, confidenter peto, ut semper per illum advocatum exaudias me, *in quacunq[ue] die*, id est, quocunq[ue] tempore invocavero te. *Multiplicabis in anima mea virtutem*, q. d. Hoc autem est, quod peto *invocans te, ut multiplices in anima mea* fortitudinem sive potentiam, id enim hic *virtus* significat iuxta Graecum et Chaldaeum. Sensus est: ut *multipliciter* extollas animam meam per potentiam tuam, qua facies illam superiorem omnibus aerumnis, adversitatibus et hostibus suis. Ita s. Hieronymus, Tirinus et alii.

5. *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terrae: quia audierunt omnia verba oris tui.* Nunc praedicit futuram conversionem gentium per modum imperantis. *Confiteantur*, id est, Magnificato Sancto tuo per resurrectionem et ascensionem eius, *confitebuntur tibi confessionem* laudis omnes reges terrae; quoniam per praedicationem evangelicam *audierunt omnia verba oris tui*, id est, quidquid mundo revelare dignatus es per prophetas et apostolos tuos.

6. *Et contententur in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini.* Pergit explicare mysterium vocationis gentium: *Et contententur in viis Domini*, id est, laudabunt et celebrabunt reges et eorum populi vias Domini, sive facta et consilia rationesque divinae providentiae, misericordiae, etc., *quoniam magna est gloria Domini*; cognoscent enim, et admirabun-

tur quotidie magis ac magis, quam *magna* Dominus fecerit, quam *magnifice glorificaverit* Christum suum, etc. Ita Theodoretus et alii.

7. *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: et alta a longe cognoscit.* Haec est magna gloria Domini, quod cum *excelsus*, imo altissimus sit; tamen *humilia* de proximo *respicit*, quoniam ad *humiles* descendit. *Alta* vero *a longe cognoscit*; quia dum *altos*, id est superbos, a suo favore ac coelo removet, et in ima relegat, videtur quasi *eminus*, et *a longe* eos aspicere, inquit s. Augustinus.

8. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.* Quoniam Deus excelsus humilia benignissime respicit: David conscius propriae humilitatis, cum fiducia sibi pollicetur auxilium Domini in omni *tribulatione*. *Si ambulavero in medio tribulationis*, ita ut undique *tribulantibus* et *tendantibus* cinctus sim, tu tamen *vivificabis me*, id est, *vivum*, illaesum, incolumemque servabis. *Et super iram*, id est, nam superbiam (et pro *quia*, ut saepe monuimus) *inimicorum meorum* me undique circumstantium, *tu extendisti manum tuam*; ut eorum furorem compesceres, ac conatus impedires, et sic *salvum meum fecit dextera tua*, id est, potentia et virtus tua. Sunt, qui per *dexteram* hic Christum intelligunt. Caeterum in Hebraeo habentur omnia in futuro, *extendes, salvum facies*, sed idem est sensus.

9. *Dominus retribuet pro me: Domine, misericordia tua in saeculum: opera manuum tuarum non despicias.* Explicat modum, quo dextera Domini salvum faciet, scilicet *Dominus retribuet pro me*, vindictam hostibus meis. Vel *operabitur pro me*, ut Chaldaeus et Hieronymus, vel *perficiet in me*, quoc

inchoavit, ut Symmachus, Vatablus et Iansenius. Qui per *dexteram* in superiore versu Christum intelligunt, ita exponunt: *Dominus*, qui est dextera tua, salvum me faciet, quia *retribuet* tibi Deo Patri *pro me* sive pro peccatis meis pretium. *Domine, misericordia tua in saeculum* durat, sive finem non habet, ideo peto, *opera manuum tuarum ne despicias*, id est, quae tu *miseri corditer* inchoasti *opera*, inspirans fidem, spem et caritatem, non deseras, sed conservando, augendo, perficiendo consummes.

PSALMUS CXXXVIII.

Synopsis

David genus humanum admonet, Deum esse magnum remuneratorem operum bonorum, et contra severum iudicem operum malorum, atque ut id persuadeat, prolixè disputat de scientia Dei. Ita S. Chrysostomus et Euthymius. Titulus est: In finem, Psalmus David.

1. *Domine, probasti me et cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.* Haec David non de se solum, sed in persona omnium affirmat, Deo nos, et nostra omnia esse notissima. *Domine, probasti me*, id est, examinasti et scrutatus es me, q. d. Plane me perspectum habes. *Cognovisti sessionem et resurrectionem meam*, id est, motus et actiones meas omnes. Et si Deus haec de omnibus ab aeterno novit, multo magis de Christo novit, qui est omnium caput: et ideo recte Ecclesia in die Resurrectionis haec verba Christo accommodat.

2. *Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam et funiculum meum investigasti.* Docet

praeterea Deum cognoscere omnes *cogitationes*, omnia consilia, omnem eventum. *Intellexisti cogitationes meas de longe*, id est, multo antea quam *cogitare* inciperem; item nosti *de longe semitam meam*, progressum meum, consilia, deliberationes, etc., et *funiculum meum investigasti*, finem scilicet et metam ad quam perventurus essem, sive longum *flum*, seu seriem vitae, studiorum et actionum mearum. In summa *intellexisti* ab aeternitate principia, media et finem omnium actionum mearum.

3. *Et omnes vias meas praevidisti: quia non est sermo in lingua mea.* Sensus est: Praevidisti omnes alios motus meos, usque ad verba inutilia et otiosa: *quia non est sermo in lingua mea*, suppleendum est, quem tu non noveris, qualis, quorsum, qua mente a me proferatur.

4. *Ecce Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua: tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.* Propheta duobus argumentis persuadet Deum *omnia scire*, quae ad nos pertinent: primo quia novit *omnia novissima et antiqua*, id est, praeterita et futura, unde non est mirum si etiam res humanas exacte sciat, quae inter caetera non ultimum locum obtinent. Secundo, quia ipse *formavit hominem, et posuit super illum manum suam*, ut eum regat et gubernet; ergo dubitari non debet quin sciat *omnia* quae ad illum pertinent. Ita s. Augustinus, Euthymius, s. Chrysostomus, Theodoretus et alii.

5. *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam.* Dicit hanc scientiam Dei omnia cognoscentem, intellectu humano comprehendendi non posse: *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, sive *mirabilior me*, ut vertit s. Hieronymus, id est, *mirabilior quam ut meo intellectu assequi*

possim. Illud *ex me* phrasi hebraica significat *prae me*, vel *super me*; quod explicatur per hoc: *confortata est, et non potero ad eam*, id est, praevaluit supra capacitatem meam, sive elevata est altius quam ego conscendere possim, ut eam apprehendam.

6. *Quo ibo a spiritu tuo; et quo a facie tua fugiam?* 7. *Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* 8. *Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris.* 9. *Etenim illuc manus tua deducet me: et tenebit me dextera tua.* Addit aliud argumentum ad probandum neminem esse, qui possit latere scientiam Dei, quia videlicet Deus ubique est, et omnia penetrat. *Quo ibo a Spiritu tuo*, ut videlicet abscondar a te, a tua mente et intelligentia? et idipsum clarius repetit: *quo a facie tua fugiam?* *Si ascendero in summum coelum, tu illic es, si descendero in infernum*, in profundum abyssi longissime a coelo situm, ibi quoque tu ipse idem *ades.* *Si sumpsero pennas meas diluculo*, id est, si dentur mihi *pennae* et mane surgens velocissime fugiam ab oriente, et habitem in *extremis maris*, id est, in ultimo occidente, non tamen effugere te potero: nam *manus tua deducet me, et tenebit me*; quia sine Dei auxilio moveri non possumus; in ipso enim vivimus, movemur et sumus. Actor. xvii.

10. *Et dixi: forsitan tenebrae conculcabunt me; et nox illuminatio mea in deliciis meis.* 11. *Quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebrae eius, ita et lumen eius.* Obiicit ipse sibi, posse fieri, ut abscondatur a Deo, beneficio *tenebrarum*; et respondet, id non posse fieri, quia *tenebrae apud Deum non sunt tenebrae, Deus enim lux est.* I. Ioan. 1, *Et dixi: Forsitan*

tenebrae conculcabunt (operient, ex hebraeo vertit s. Hieronymus), *me* tegent et *obscurabunt* sua densitate. et sic effugiam oculos Dei; verbum ergo *conculcabunt* metaphoricum est, quod enim calcatur, in profundo ponitur et absconditur. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*: haec est responsio ad obiectionem; et sensus est: *Nox* ipsa per se *obscura*, coram oculis Dei non erit *nox*, neque *obscura*, sed erit *illuminatio mea*, pro *mei*, id est, *illuminabit*, et patefaciet me *in deliciis meis nocturnis*, versantem; nam qui *deliciis* impuris vacant, *tenebras noctis* quaerunt, existimantes se a nemine videri et ita securius peccare. Induit autem hoc loco personam impiorum propheta, dum haec dicit; et in sequentibus clarius repetit. *Quia tenebrae non obscurabuntur a te; et nox sicut dies illuminabitur*, id est, *tenebrae non tenebescunt* apud te, ut habetur in hebraeo, et *nox* non est *obscura*, ut solent esse *noctes*, sed est lucida coram te, ut sunt dies: *sicut tenebrae eius*, videlicet *noctis*, *ita et lumen eius*, id est, diei, q. d. Perinde tibi est, ut videas, sive *tenebrae* sint, sive *lumen*, quia oculi tui sunt sicut sol, qui non eget alieno lumine, etc.

12. *Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meae*. Probat Deo nihil absconditum esse, quamvis occultissimum, ex formatione membrorum nostrorum interiorum. *Quia tu possedisti renes meos*, id est, hinc apparet tibi nihil absconditum esse, quia *formasti*, et *formando* in tua potestate, scientia, praesentia habes *renes meos*, id est, omnia interiora mea, et occultissimas quasque motiones animi. Neque solum *renes meos*, sed *me* totum in utero latentem *suscepisti formandum* et *sovisti formatum*.

13. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus*

es: mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis. Interrumpit propheta narrationem de opificio humano per apostrophem ad Deum, et ait: Cogitans haec *opera tua confitebor tibi* confessionem laudis, *quia terribiliter, terrore* admirationis et reverentiae *magnificatus es.* Declarat autem in quo sita sit haec admirabilis *magnificentia*, dicens: *Mirabilia opera tua*, id est, admiranda sunt *opera tua* in formatione hominis in utero matris, *et anima mea* valde sataget, ut *cognoscat* magnitudinem horum *operum tuorum.*

14. *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto: et substantia mea in inferioribus terrae.* Redit ad scientiam Dei in opificio humano. *Non est occultatum os*, etc., id est, *ossium* compactura, quam tu ipse *fecisti in occulto* matris utero, non latet scientiam tuam; imo tota *substantia*, natura et essentia *mea* non est *occultata* tibi, quia tu ipse eam formasti *in inferioribus terrae*, id est, in utero matris, quasi in abdito antro *terrae*, sive in hac ima *terra*; in qua degimus. Profecto qui viderunt anatomiam corporis humani, satis mirari non possunt sapientiam Dei in fabrica tot *ossium*, magnorum, parvorum, etc.

15. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, et nemo in eis.* Pergit in ostendenda scientia Dei, et per *imperfectum*, ut ex hebraeo patet, intelligit corpus *informe*, quod embryonem vocant. Hoc *imperfectum meum viderunt oculi tui*; mox rationem subiiciet, *et pro quia in libro tuo, in libro* scilicet divinae praescientiae, vel memoriae tuae, ut Chaldaeus, *omnes* homines, imo *omnes res descriptae* invenientur. *Dies formabuntur*, subintelligitur in ut sensus sit: In *dies formabuntur* informia corpora, et ad

perfectionem suam perducentur. *Et nemo in eis*, suppleendum est *deerit*, q. d. Quamvis multiplicentur, seu multi in *dies formentur* homines, nullus tamen ex omnibus effugiet *librum* praescientiae tuae. Atque hic sensus litteralis est ex Bellarmino, Tirino et aliis. S. Hilarius tamen et alii hoc de *libro* vitae, et electis Dei amicis intelligunt, quo etiam propheta respexisse videtur dum exclamat quod sequitur:

16. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus: nimis confortatus est principatus eorum.* Exclamat propheta ex admiratione excellentiae, ad quam Deus ex quadam imperfectionis abysson perducit *amicos* suos. *Mihi autem*, id est, apud me, sive meo iudicio, *nimis*, id est, valde omnino, et supra quam intelligam *honorificati sunt amici tui, Deus*, q. d. Omnia quidem, etiam minima nosti et curas; sed tamen peculiari scientia (quam theologi vocant *approbativam*) et singulari amore, cura et *honore* prosequeris *amicos tuos*; nam *eorum principatum*, id est, dignitatem, excellentiam, potentiam valde roborasti.

17. *Dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur: exsurrexi, et adhuc sum tecum.* Declarat praeterea quomodo confortatus sit principatus amicorum Dei; et dicit confortatum esse, quia mirifice brevi propagatus est. *Dinumerabo eos*, id est, conabor *numerare* *amicos* Dei, qui principatu fruuntur, et prae *multitudine* *numerare* non potero quia super *arenam multiplicabuntur*, id est, plures erunt quam grana *arenae* in littore maris. Est autem haec amplificatio quaedam, sed s. Scripturae familiaris. Gen. xxii, etc. His dictis, propheta dicit se quoque ex huius rei cognitione exarsisse in desiderium participandae gloriae inter hos *amicos* Dei. *Exsurrexi*, inquit, sive

evigilavi, ut vox hebraea sonat, ad novam hanc lucem, et *surrexi* in spem, et *adhuc*, id est, usque ad hoc tempus *tecum sum*, tibi inhaereo, a te pendeo, cupidus perseverandi usque in finem, ut etiam aliquando amicis tuis accensear. Allegorice, Christus *resurrexit*, ut semper adsit Deo; et nos item in die iudicii. Ita s. Hilarius, s. Augustinus, Theodoretus et alii.

18. *Si occideris, Deus, peccatores; viri sanguinum, declinate a me.* 19. *Quia dicitis in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.* Optaverat propheta consortium iustorum; iam detestatur amicitiam et consortium inimicorum Dei. *Si occideris, Deus, peccatores*, id est, sicut tu, Deus, iusto tuo iudicio, ut amicos tuos honorificabis et exaltabis, ita inimicos tuos *peccatores* ad interitum sempiternum damnabis: ego nolo in eorum esse consortio; ergo hinc *facessite, viri sanguinum*, id est, homicidae, et alii *peccatores*, qui animas proprias per peccatum, et animas aliorum per scandalum *occiditis; declinate a me*, videlicet ne simul vobiscum perdar a Deo. *Quia dicitis in cogitatione*, id est, quia cogitatis, apud vos, et in corde vestro dicitis: Iusti *accipient in vanitate*, id est, frustra, et in vanum *civitates tuas*, id est, *civitates* Dei, quia brevi eas auferemus ab eis. Sic igitur in corde suo *dicebant* impii invidentes propagationi regni Christi.

20. *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam; et super inimicos tuos tabescebam?* 21. *Perfecto odio oderam illos: et inimici facti sunt mihi.* Profitetur iam, se hos peccatores odisse, quia Dominum *oderunt*; et *tabescere* ex taedio et dolore, cum videat offendi ab impiis Dominum suum. Illud *perfecto odio*, refert s. Augustinus ad virtutem caritatis, quae diligit personas, et *odit* iniquitatem. Unde sub-

iungitur: *et inimici facti sunt mihi*, q. d. Non ego illis, cum eos diligam et emendari cupiam, sed illi mihi, quia *oderunt increpationem*, et *converti nolunt*.

22. *Proba me, Deus, et scito cor meum: interroga me, et cognosce semitas meas.* 23. *Et vide, si via iniquitatis in me est: et deduc me in via aeterna.* Rogat Deum, ut pergat scrutari et examinare cor eius et *semitas*, id est, cogitationes, desideria, progressus et actiones eius; quod initio dixerat: ut si Deus, in ipso videat *viam iniquitatis*, abstrahat eum inde, et *deducat per viam*, seu *semitam virtutum*, quae *recta ducit ad vitam aeternam*.

PSALMUS CXXXIX.

Synopsis

Est precatio corporis Christi adversus diabolum et iniquos homines, qui instrumenta vel satellites diaboli sunt. Ita Ss. Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus et alii. Titulus est: In finem, Psalmus David.

1. *Eripe me, Domine, ab homine malo: a viro iniquo eripe me.* Christus loquitur in persona sua, et membrorum suorum; vel quod est fere idem, loquitur corpus Christi, id est, coetus fidelium. Per *hominem malum et virum iniquum* intelligit s. Augustinus diabolum; alii intelligunt *homines malos*, qui a diabolo excitantur et reguntur.

2. *Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die constituebant praelia.* Reddit rationem cur *eripi* petierit, quia scilicet patitur infestationem *cogitationum*, verborum et factorum: et infestationes tales, quae dici possunt *assidua praelia*; *cogitare iniqui-*

tates in corde, est meditari conceptiones, parare insidias, etc. *Tota die constituebant praelia*, id est, per omne tempus sine intermissione instruebant *praelia*, quae in corde meditati fuerant.

3. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis; venenum aspidum sub labiis eorum*. Hoc est alterum malum quod patimur ab inimicis, malum verborum, calumniarum, detractionum, fraudum, etc. *Acuerunt viri illi linguas suas sicut serpentis*, ut facilius penetrarent in aures et corda; *venenum aspidum*, nocentissimum, *sub labiis eorum* absconditum est, quod per *linguam* iaculantur in audientes. Commode per *linguam serpentium* intelligitur praedicatio haereticorum, quae molliter serpit, sed lethale virus inspirat et occidit.

4. *Custodi me, Domine, de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me*. Hoc est tertium malum, quod ad rem ipsam pertinet, et petit coetus iustorum protectionem ne *manus peccatoris* (per quem videtur intelligi princeps ipse tenebrarum) appropinquet et nocent. Deinde petit ut etiam *eripiat ab hominibus iniquis*, qui sunt membra diaboli, ne et ipsi potestatem nocendi accipiant. Quid autem mali potissimum timeat, et a quo liberari cupiat, explicat in sequentibus duobus versibus.

5. *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi: 6. Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi*. Princeps tenebrarum nos omnibus modis impedire nititur a via salutis: itaque ipsi et angeli eius in hoc unum semper intenti sunt, ut *supplantent gressus nostros*, ut non ambulemus in via Domini, ut in ea cadamus, etc., id autem faciunt *abscondendo* et multiplicando *laqueos*, eosque iuxta viam constituendo. *Abscondunt* autem diaboli

laqueos, quando in actionibus humanis manifestant bonum, *abscondunt* malum, id est, faciunt ut homo cogitet utilitatem aut voluptatem, non cogitet iacturam et amaritudinem adiunctam. *Extendunt funes in laqueos*, dum multiplicant *laqueos*; nam cui tetenderunt *laqueum* adulterii, tendunt paulo post *laqueum* homicidii, ut adulterium tegatur, etc., *ponunt* denique *iuxta iter scandalum*, sive *offendiculum*, ut s. Hieronymus habet, dum varias nobis insidias in huius vitae via struunt. Caeterum non poterant daemones aptius designari, quam nomine *superborum*, nam peccatum eorum sola *superbia* fuit.

7. *Dixi Domino: Deus meus es tu; exaudi, Domine, vocem deprecationis meae.* 8. *Domine, Domine; virtus salutis meae, obumbrasti super caput meum in die belli.* Adversus tot pericula invocat auxilium Dei, sine quo nihil possumus: *Dixi Domino*, etc. Deinde dicit: *Domine, virtus salutis meae*, id est, ideo confidenter ad te confugio, quia tu solus es robur, unde pendet *salus mea*. *Obumbrasti super caput meum in die belli*, iam alias protectionem tuam expertus sum: tu enim *in die belli*, cum videlicet graviter ab hostibus oppugnarer, fuisti mihi instar galeae, nam *obumbrasti*, et texisti auxilio tuo *caput meum*, ut mortem evaderem, vel ut s. Hieronymus exponit, protexisti me quasi clypeo.

9. *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me: ne derelinquas me, ne forte exallentur.* Nisi concupiscentia mala nos ceperit, frustra daemones tentant, frustra homines saeviunt; hinc orat: *Ne tradas me, Domine*, id est, ne sinas me tradi *a desiderio meo peccatori*, daemioni videlicet, vel homini tentanti: tunc enim *a desiderio nostro tradimur* inimicis, quando concupiscentia

mala nos captivos facit, et in potestatem Satanae tradit. Posset etiam illud a *desiderio meo exponi*, procul a *desiderio meo*, vel contra *desiderium meum*. *Cogitaverunt contra me*, etc., id est, rogo ut non derelinquas me, quia inimici meditati sunt insidias contra me, et si *forte* coeperint me, triumphabunt, et gloriabuntur et *exallabuntur*, quasi non me solum, sed etiam te superaverint.

10. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos*. Ab hoc loco propheta praedicit poenas, quas dabunt impii qui persecuti sunt iustos. *Caput circuitus eorum*, subintelligitur, *operiet eos*, id est: Summa insidiarum quibus impii, quasi per vias distortas *circuibant*, ut iustos perderent, in eos (impios) recidet, et *labor labiorum ipsorum operiet eos*, id est, *labor* sive afflictio et miseria, quam *labiis* suis procurabant iustis, similiter in eos recidet, et ipsos opprimit. Ita s. Chrysostomus et alii. Vel ut Tirinus explicat, *labor labiorum*, etc., i. e., mendacium et calumnia, in qua concinnanda valde laborant *labiis* suis, ipsosmet *operiet*, et perdet. Itaque quod hic obscure dicitur, idem est cum eo, quod clare dicitur in psalmo vii: *Convertetur dolor eius in coput eius..... et incidit in foveam quam fecit*, id est afflictio, quam paraverunt impii iustis, super eos revertetur, eosque obruet. Id impii experiuntur in morte, et in die iudicii omnibus manifestum erit.

11. *Cadent super eos carbones, in ignem deiicies eos: in miseriis non subsistent*. Pergit explicare poenam impiorum. *Cadent* missi a te de coelo *super eos carbones*, per quos intelliguntur acerrima supplicia: *in ignem deiicies eos*, id est, tanta erit copia *carbonum super eos cadentium*, ut obruantur et opprimantur ab eis; *in miseriis non subsistent*,

id est, oppressi *miseriis* ita iacebunt, ut se attollere et surgere ac *subsistere* non possint. Iuxta Chaldaeum significatur hic atrocitas inferni.

12. *Vir linguosus non dirigetur in terra: virum iniustum mala capient in interitu.* Praedixit propheta poenas aeternas impiorum; nunc addit etiam de poenis huius vitae. *Vir linguosus*, id est, vir promptus ad loquendum, mendax, adulator, detractor, convitiis assuetus, rixosus, etc., *non dirigetur*, sive non prosperabitur *in terra*; nec solum *non dirigetur*, nec prosperabitur *vir linguosus*, ac per hoc iniustus; sed eum *mala capient in interitu*, id est, mala, quae sustinere cogetur *in terra*, non erunt ad praemium patientiae, ut iustis esse solent; sed ad *interitum* sempiternum.

13. *Cognovi quia faciet Dominus iudicium inopis, et vindictam pauperum.* 14. *Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo: et habitabunt recti cum vultu tuo.* Concludit certam esse liberationem et felicitatem iustorum, ut etiam supplicia et miseriam impiorum. *Cognovi*, etc., q. d. Certe scio, quod *Dominus iustissime iudicabit causas pauperum* suorum, et *vindictam faciet* illorum, puniens digna animadversione persecutores eorum. Ipsi autem *iusti confitebuntur*, etc., id est, laudabunt in aeternum Dominum, sicut in aeternum *habitabunt* in domo eius *cum vultu* ipsius, videntes facie ad faciem, fruentes clara visione eius. Ita s. Augustinus et alii.

PSALMUS CXL.

Synopsis

Orat ut in afflictione patiens sit ac tutus ab hoste: et est hic psalmus eiusdem fere argumenti cum superiore. Titulus est: Psalmus David.

1. *Domine, clamavi ad te, exaudi me; intende voci meae, cum clamavero ad te.* Verba sunt coetus fidelium, inter hostium agmina constituti: *Domine, clamavi ad te*, ut auxilium ferres inter tot pericula laboranti: *exaudi me* neque solum hodie clamantem *exaudi*, sed *intende voci meae*, etc., id est, quotiescunque *clamavero ad te*, tu quoque *intende voci meae* aures tuas.

2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vesperinum.* Explicat quid petat a Deo; et recto ordine petit primo, ut Deus adiuvet eum in bene orando. *Dirigatur oratio mea sicut incensum*, id est, hoc primum peto, ut per gratiam tuam *oratio mea dirigatur* ad te ad modum thymiamatis: hac similitudine declarantur qualitates bonae orationis; nam thymiama illud 1° constabat quatuor generibus aromatum, thure, galbano, onyche et stacte; hinc efficiebatur odor suavissimus: sic *oratio*, si componitur ex fide, fiducia, caritate et humilitate, Deo gratissima est: 2° thymiama offerebatur per summum sacerdotem: summus sacerdos est Christus; per illum, ut advocatum nostrum, semper orare debemus, et ideo preces concludit Ecclesia: per Dominum nostrum Iesum Christum; 3° thymiama ponebatur super ignem, et inde excitabatur fumus recta sursum ascendens: ignis, qui in oratione fumum suavissimum et sursum ascendentem excitat, est fervor

desiderii; sed in recta ascensione notatur recta intentio, et ignis attentio, etc. Quod sequitur: *elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, eiusdem rei repetitio est: nam per *elevationem manuum oratio* significatur, psalmo 133, et I. Tim. c. II. Per *sacrificium vespertinum* intelligitur oblatio *incensi*, quae *vesperi* fiebat: adeoque sensus est: *Oratio*, quam *elevatis manibus* fundo, sit veluti *sacrificium incensi*, quod ad *vesperam* offertur. Potest etiam per *sacrificium vespertinum* intelligi mactatio agni immaculati quae *vesperi* fiebat.

Quaeri autem hic posset, cur propheta optet *orationem* similem esse *sacrificio vespertino* potius quam matulino, cum et oblatio thymiamatis et immolatio agni fieret mane et *vesperi*? *Resp.* Rationem esse vel, quia psalmum hunc David ad *vesperam* cecinit, ut eundem etiam in *vesperis* Ecclesia canit: vel quia *sacrificium vespertinum* nobilius erat: fuit enim typus et Eucharistiae *vesperi* instituendae, et *sacrificii Crucis* sub *vesperam* consummandi.

3. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis.* Haec est secunda petitio, ut sibi detur donum loquendi et tacendi quando oportet; sumit autem propheta, ut haec explicet, metaphoram a *custodia* portarum domus vel civitatis. *Pone, Domine, custodiam ori meo*, id est, *custodi os meum*, et *pone labiis meis ostium circumstantiae*, sive *ostium*, quod labia mea *circumstet* et *custodiat* per circuitum, ut nihil per ipsa egrediatur loquendo, vel non egrediatur tacendo, quod mihi obesse possit.

4. *Non declines cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.* Haec est tertia petitio manans ex priori: *Non declines cor meum in verba malitiae*, id est, non permittas, ut quando

peccavimus, cor nostrum *declinet in verba mendacii et simulationis, ad excusandas excusationes in peccatis*, id est, *ad excusanda peccata* variis praetextibus: nam *excusare excusationes*, phrasi hebraica, est facere *excusationes*, id est, texere praetextus, quomodo dicunt *praeliari praelia*, pro facere praelia, *iudicare iudicia*, pro facere iudicia, etc.

5. *Cum hominibus operantibus iniquitatem: et non communicabo cum electis eorum.* Quarta petitio est, ut custodiat nos Deus a consuetudine et familiaritate impiorum. Porro pars prima huius versus pendet a versu superiore, et sensus est: *Non declines cor meum, etc., cum hominibus operantibus iniquitatem*, id est, non patiaris me quaerere excusationes peccatorum, ut ii faciunt qui iniqui sunt, ut non fiam socius eorum, *et non communicabo cum electis eorum*, id est, et sic per gratiam tuam adiutus *non communicabo cum conviviis eorum*, sed fugiam *consortium ipsorum*. In Hebraeo habetur, *non convivabor, non comedam cum ipsis, non assidebo mensae eorum*. Ne intersim conviviis, cantilenis, ut Chaldaeus habet, tripudiis, etc. Ita quoque Symmachus, s. Hieronymus, et alii. Porro quamvis ubique noceat malorum conversatio, sed nusquam magis, quam in conviviis et comotationibus.

6. *Corripiet me iustus in misericordia, et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quinta petitio est, ut ex gratia Dei incidamus in amicos ex caritate *corripientes*, non in adultores falsis laudibus blandientes et decipientes. *Corripiet me iustus in misericordia*, id est, reprehendet me delinquentem vir iustus ex caritate, qui miseretur languentis, non in iracundia, et felle amaritudinis; is, inquam, *increpabit me* castigans delicta mea; sed *peccatoris oleum*, quo significatur

blandiloquentia adulatoris *non impinguet caput meum*, q. d. blanditiae, adulationes, deliciae et beneficia impiorum non inungant, aut demulceant me, ut iis assentiar, et participem de sceleribus eorum. Ita s. Hilarius, s. Augustinus, Theodoretus et alii.

7. *Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum: absorpti sunt iuncti petrae iudices eorum.* Hunc versum omnium iudicio obscurissimum Tiri- nus ex Theodoreto sic explicat: *Quoniam adhuc* modicum superest temporis, *et exaudietur a Deo oratio mea*, quae versatur *in beneplacitis eorum*, id est, circa delicias et petulantias eorum, ut scilicet Deus iis tandem aliquando finem faciat. Tunc *absorpti sunt*, pro *absorbebuntur*, et *interibunt iuncti petrae*, id est, allisi saxis, *iudices*, sive principes eorum. Ex s. Chrysostomo autem desumitur hic sensus: Non solum non communicabo cum impiis, quod supra propheta dixerat; sed *adhuc oratio mea* ad Deum est, *in beneplacitis eorum*, id est, adver- sus eorum vitia et scelera, in quibus ipsi sibi *plac- ent*: sed ipsi brevi peribunt sicut *iudices eorum*, id est, principes eorum, et duces aliorum ad ma- lum *absorpti sunt iuncti petrae*, id est, allisi ad *petras* perierunt. In Hebraeo est, *praecipitati sunt ad manus petrae*, et sensus est idem; significatur enim velox interitus impiorum, qualis est eorum, qui absorbentur a fluctibus marinis, dum agitati ab undis alliduntur ad scopulos.

8. *Audient verba mea, quoniam potuerunt: sicut crassitudo terrae erupta est super terram.* Redit ad istud, quod dixerat, *oratio mea in beneplacitis eo- rum*, et addit, multos etiam impiorum, qui sibi in peccatis complacebant, *audituros verba sua*, et per ea convertendos esse. *Audient* enim illi pro

quibus oratio mea fiebat, *verba mea*, quoniam ea verba *potuerunt*, id est, potentia et efficacia fuerunt, ad conterenda corda eorum. S. Augustinus legit *praevaluerunt*. *Sicut crassitudo terrae erupta est super terram*: Symmachus et Aquila vertunt: *sicut crassa seu pinguis terra aratro discissa rumpitur*. Sensus est: Sicut durities et crassities *terrae rumpi* solet vi ligonis, aut aratri *super terram*; nam quomodo *terrae* durities aratro scinditur *super terram*, sic humanum cor scinditur potentia et efficacia *verbi Dei*.

9. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum, quia ad te, Domine, Domine, oculi mei; in te speravi, non auferas animam meam*. Haec est ultima petitio, ut videlicet Deus liberet *animas* nostras ab omni periculo tentationum. *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum*, id est, propter multitudinem et gravitatem tentationum, virtus et fortitudo nostra, quae per *ossa* significatur, ita *dispersa*, infirmata et debilitata est, ut ad os *infern*i pene devenerit, ut videlicet pene ad nihilum redacta sit; et quia in his omnibus *ad te, Domine*, sunt *oculi mei*, ad auxilium tuum respexi, *in te speravi*: oro ut *non auferas animam meam*, id est, non sinas tolli vitam meam, non *pāiaris* me perire.

10. *Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi: et a scandalis operantium iniquitatem*. Declarat unde timeat mortem; ac dicit se timere *a laqueis et scandalis*, id est, a tentationibus diaboli, et a malis exemplis hominum. *Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi* insidiatores, sive is *laqueus* sit concupiscentia carnis, sive concupiscentia oculorum, sive superbia vitae: et *a scandalis operantium iniquitatem*, id est, ab exemplis carnalium, cupidorum, superborum, etc.

11. *Cadent in retiaculo eius peccatores; singulariter sum ego donec transeam.* Docet in fine, illos tandem casuros esse *in retia* diaboli, qui amant peccata: se autem et sui similes, qui peccata oderunt, liberos evasuros. *Cadent in retiaculo eius*, id est, *in rete* principis venatorum, qui est diabolus: *peccatores*, id est, qui delectantur peccatis. *Singulariter sum ego donec transeam*, id est, ego autem semotus, et sic tutus ero a laqueis eorum, *donec transeam* illaesus; vel donec migrem ad vitam feliciorum, ubi nulla erunt pericula. Ita Theodoretus et alii.

PSALMUS CXLI.

Synopsis

David circumsessus a Saule in spelunca, lib. i. Reg. xxii, implorat opem Dei. Constat ex titulo: Intellectus David. Cum esset in spelunca, oratio. Est autem hic huius tituli sensus: Intellectus David, id est, in hoc psalmo declaratur prudentia Davidis, qui cum esset circumsessus in spelunca, sapienter cogitavit unicum remedium in tanto periculo esse orationem ad Deum. Caeterum in altiori sensu hic psalmus refertur ad Christum vel in horto vel in cruce orantem.

1. *Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Dominum deprecatus sum.* 2. *Effundo in conspectu eius orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuncio.* Hoc principium psalmi nihil aliud continet quam argumentum, quod videlicet David orationem fundat ad Deum.

3. *In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas.* Explicat cur et quando tribulationem suam coram Deo pronuntiaverit. *In de-*

fciendo, inquit, ex me spiritum meum, id est, cum prae anxietate spiritus meus in me deficeret, clamavi ad te: quia tu omnium optime *cognovisti semitas meas*, actiones et studia, et nosti quam sine ulla causa haec patiar, nosti innocentiam meam. Haec quidem Davidi tum in spelunca latitanti, sed verius Christo in horto vel cruce oranti conveniunt.

4. *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi*. Docet afflictionem suam incepisse ab insidiis inimicorum, deinde ab aperta violentia: Saul enim saepe procuravit mortem Davidis per insidias, sed cum id non succederet, aperta vi illum aggressus est. Sic etiam Dominum nostrum capere tentarunt in sermone, ut eum perderent, sed cum sapientia vinceret malitiam, violenter ceperunt. *In hac via qua ambulabam*, id est, *in via iustitiae, et mandatorum Dei, in qua ambulabam*, in ipsis semitis, quas tu optime nosti, *absconderunt*, etc.

5. *Considerabam ad dexteram et videbam; et non erat qui cognosceret me*. Haec iam pertinent ad violentiam, qua illum aggressi sunt inimici: in hac pressura *considerabam*, inquit, *ad dexteram*, id est, ad auxilia amicorum, *et videbam*, num quis mihi amicus adesset, *et non erat qui cognosceret me*, id est, nullus mihi notum se esse confiteri ausus est. Haec apertius Christo accommodantur, qui in passione multos videbat a sinistris, id est, inimicos et adversarios: *a dextris* autem, id est, amicos et notos nullos habuit; *Stabant omnes noti eius a longe*.

6. *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam*. Ostendit se in iis angustiis fuisse, ut non solum nullum auxilium ab aliis habere posset, sed neque *fuga* se ipse iuvare posset. *Periit fuga a me*, id est, nullum remanet effugium, *et non est qui requirat animam meam*, seu qui mihi opitule-

tur et subveniat. Porro Christus dicere potuit periisse a se *fugam*, quia *fugere* nolebat: *fuga* enim non minus *periit* ab illo, qui non potest, quam ab illo qui non vult *fugere*.

7. *Clamavi ad te, Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.* Exclusus David ab omni humano auxilio, ad Deum recurrit, cui nihil difficile est. Illud *portio mea in terra viventium*, significat: Tu es haereditas mea, quam unam et solam *spero* et quaero in hoc mundo. Haec cum ad Christum referuntur, accipienda sunt pro corpore eius, quod est Ecclesia: vel si in persona propria Christus loquitur, accipienda sunt de expectatione resurrectionis et gloriae corporis.

8. *Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis: 9. Libera me a persecuentibus me, quia confortati sunt super me.* Duplici argumento petit a Deo auxilium, tum quia ipse *nimum* depressus sit, tum quia inimici eius *nimum* sint exaltati, *quia humiliatus*, id est, depressus et afflictus sum valde; *quia inimici mei confortati sunt*, id est, roborati sunt, et viribus aucti ut facile praevalere possint. Christus erat vere *nimis humiliatus*, cum penderet inter latrones, cui iure convenit sedere super Cherubim: vere etiam inimici eius *confortati* erant valde, quando venit hora ipsorum, et potestas data est tenebris, etc.

10. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti donec tribuas mihi.* Quod attinet ad Davidem, iuxta s. Chrysostomum hic sensus est: *Educ* me de his afflictionibus, ut de hac spelunca egressus, et libere discurrens laudem *nomen tuum*; id enim *expectant omnes iusti*, ut a tua providentia tribuatur mihi innocenti liberatio. Alii dicunt Davidem hoc loco de

mortali corpore, tanquam de *custodia educi* desiderasse. Sed quod attinet ad Christum, orat *educi de custodia* corporis passibilis et animalis, et induere per resurrectionem corpus impassibile et spirituale. Atque, ut ss. Hieronymus, Augustinus et Hilarius docent, Christo proprie illa verba conveniunt: *Me expectant iusti, donec retribuas mihi*. Omnes enim *iusti expectabant* maximo desiderio Christum resurgentem, et debita *retributione* gloriae exaltatum: quia *ex plenitudine gloriae eius* omnes accepturi erant.

PSALMUS CXLII.

Synopsis

David persecutionem Absalom, poenam peccati sui agnoscens, peccata sua deplorat: et misericordiam a Deo postulat. Titulus est: Psalmus David, quando persequeretur eum Absalom filius eius. Hunc psalmum Ecclesia inter septem poenitentiales numerat.

1. *Domine, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iustitia.* David corde contrito et interno gemitu petens culpae remissionem dicit: *Domine, exaudi orationem meam*, quam tu bene intelligis, quae sit, et idipsum repetens addit: *auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua*, id est, iuxta fidelitatem tuam, qua servas promissa tua de remissione poenitentibus danda. Quod ipsum iterum repetit, cum addit: *exaudi me in tua iustitia*, ubi per *iustitiam* intelligit fidelitatem, quae est pars *iustitiae*, quam prius *veritatem* vocavit.

2. *Et non intres in iudicium cum servo tuo: quia*

non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Petiit remissionem peccati ex promissione et fidelitate Dei; nunc addit aliud argumentum ex conditione et fragilitate generis humani: *Non intres in iudicium cum servo tuo*, id est, noli mecum iudicio contendere, neque enim ego resistere audebo, neque me iustum dicam, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, id est, nemo est qui per omnia et semper sit iustus. Ita s. Augustinus. Nani nullus est homo, qui toto tempore *vitae suae* non admittat aliquod peccatum. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. I. Ioan. c. I.

3. *Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.* Haec est tertia ratio quam adducit ad impetrandam peccatorum remissionem: quae sumpta est ex gravitate tentationis; adeoque illud *quia* iungendum est cum verbis illis: *Exaudi me in tua iustitia*, q. d. *Exaudi me*, quia iustus es, promissa adimplens: *quia non iustificabitur, etc.*, *quia persecutus est inimicus* (diabolus) *animam meam* sollicitando ad adulterium, tentando ad homicidium, et *humiliavit*, prostravit, abiecit *vitam meam* usque ad terram, quia me vilem et contemptibilem reddidit in conspectu tuo et sanctorum angelorum. Ita ss. Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, et alii.

4. *Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* Pergit in explicatione calamitatum, quos diabolica persecutio per peccatum affert. Postquam enim animam humiliavit ad terram, id est, terrenis cupiditatibus implicavit, *in obscuris* eam collocat, in tenebris videlicet spiritualibus, excaecans oculos interiores, *sicut mortuos sae-*

culi, id est, iam dudum, sive *a saeculo mortuos*, in quibus ne vestigium quidem oculorum remanet. Ita s. Hieronymus et Theodoretus, quibus verbis summa caecitas peccatoris significatur. Et vero quae maior obscuritas mentis, quam propter momentaneam voluptatem contemnere felicitatem aeternam. Sequitur: *et anxiatuſ spiritus meus*, etc. id est, *spiritus meus* hanc caecitatem et miseriam ex lumine divino considerans, valde *anxiatus est super me*, id est, super meam miseriam, etc., et *cor meum* in intimis meis *conturbatum est*. Atque hoc est initium poenitentiae.

5. *Memor fui dierum antiquorum: meditatſ sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar*. Docet unde ex tanta anxietate respirare coeperit: *Memor fui dierum antiquorum*, id est, cogitabam de misericordia tua olim patribus exhibita: nec solum obiter *memor fui*, sed *meditatus sum*, etc., id est, diligenter consideravi *omnia opera tua*, et in *omnibus* misericordiam tuam eminare vidi, et idipsum repetens addit: *in factis manuum tuarum meditabar*. Ita s. Chrysostomus.

6. *Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Spe iam concepta ex consideratione misericordiae, ad Deum suspirat: *Expandi manus meas* in oratione *ad te*, quoniam *anima mea* ita sitit gratiam tuam, ut terra arida pluviam. Quae aptissima similitudo est, nam terra *sine aqua* neque consistentiam habet, neque vestitur herbis, neque ornatur floribus, neque fructus producit, sed est inanis et vacua: ita est *anima sine gratia Dei*, nec tentationibus resistit, nec vestem habet iustitiae, etc.

7. *Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus*. Signum verae contritionis est quando peccator moras reconciliationis ferre non potest. *Velociter*

exaudi me, et cito sana languorem meum, quia defecit spiritus meus, id est, in extremis ago, vix spiritum duco.

8. *Non avertas faciem tuam a me : et similis ero descendantibus in lacum.* Idem petit aliis verbis : *Non avertas faciem tuam a me*, id est, ne recuses reconciliari mihi; ne fiam similis pereuntibus, qui *descendunt in lacum* profundissimum gehennae. Illud *et* sumitur pro *quia*, ut saepe notavimus, et sensus est: *Non avertas, etc.*, quia si averteris, *similis ero, etc.*

9. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam : quia in te speravi.* Id est : Cito, velociter fac ut *audiam misericordiam tuam*, et gratia spei, quam iam accepi, mereatur gratiam remissionis.

10. *Notam fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam.* Poenitens David, accepta iustificatione, timens ne iterum cadat, in hac extrema parte psalmi petit gratiam cognoscendi *viam* iustitiae, et per eam *ambulandi*. *Notam fac mihi, etc.*, id est, illumina mentem meam, ut *cognoscam viam* iustitiae, in qua *ambulare* debeo, ut ad te perveniam. Siquidem *ad te levavi animam meam*, id est, ad te solum direxi cursum meum.

11. *Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Persistit in eadem petitione, rogans liberari a tentationibus diaboli. *Eripe me de inimicis meis*, id est, a tentationibus *inimici*, quoniam *ad te confugi*, et illi renuntiavi. *Doce me facere voluntatem tuam*, id est, adiuva lumine tuo, ut repulsis tentationibus veram viam inveniam et sic intelligam, quae sit *voluntas tua bona*, beneplacens et perfecta. Quoniam *Deus meus es tu*, cui soli servire debeo et cupio.

12. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam ; propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in aequitate tua.* Petiit sapientiam, quae ad intelligentiam pertinet: iam petit caritatem, quae ad voluntatem pertinet. *Spiritus tuus bonus* per quem diffunditur caritas in cordibus nostris, Rom. c. v, *deducet me in terram rectam*, id est, in viam planam et directam, quae est lex Domini. Posset etiam per *terram rectam* intelligi patria coelestis. *Propter nomen tuum vivificabis me in aequitate tua*, ut ostendat iustificationem, quae est quaedam vivificatio spiritualis, non ex meritis propriis, sed ex dono gratiae Dei nobis contingere. *Propter nomen tuum*, inquit, id est, propter gloriam tuam ex gratia tua *vivificabis me in aequitate tua*, sive in iustitia tua, per quam intelligi potest vel iustitia quae nos iustificat, vel veritas, sive fidelitas in servandis promissis.

13. *Educes de tribulatione animam meam ; et in misericordia tua disperdes inimicos meos.* 14. *Et perdes omnes qui tribulant animam meam : quoniam ego servus tuus sum.* Concludit praedicens salutem et liberationem suam, et *perditionem omnium inimicorum suorum*: et quod de se propheta dicit, dici etiam potest de omnibus veris Dei *servis*, qui vel innocentiam custodierunt, vel per veram poenitentiam ad iustitiam redierunt.

PSALMUS CXLIII.

Synopsis

Est carmen triumphale ob victoriam contra Goliath, ut hic titulus docet: Psalmus David, adversus Goliath. Mystice praedicitur victoria Christi et Ecclesiae adversus diabolum.

1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum.* Laudat propheta Deum, et illi gratias agit, quia dono singulari eius vicerit gigantem, unde initium duxit omnis ipsius gloria. Dicit autem, *qui docet manus meas*, etc., et non dicit qui robustas fecit *manus meas*, quoniam in eo genere praelii, quo vicit gigantem, plus valuit ars, quam robur.

2. *Misericordia mea et refugium meum: susceptor meus et liberator meus.* 3. *Protector meus, et in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.* Hic docet propheta quo ordine dederit ei Deus victoriam: 1° Deus Davidem *misericorditer* respexit: *misericordia mea*. Deinde David *misericorditer* praeventus respexit Deum ad eum confugiendo: *refugium meum*; 3° Deus ad se confugientem suscepit: *susceptor meus*; 4° Susceptum *liberavit* ab imminente periculo: *liberator meus*; 5° *Liberatum* etiam posthac *protexit et protegere* pergit: *Protector meus*. Addit: *et in ipso speravi* et *sperabo*, qui fecit plus quam petere, aut optare potuissem; nam non solum *liberavit* me de manu Goliath, sed etiam *subiecit mihi populum meum*, cum fecit me principem super *populum meum*.

4. *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?* Ex tot beneficiis prorumpit David in admirationem, quod tantus Deus

dignetur tanti facere *hominem*, qui fere nihil est. *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei?* id est, das *homini* cognitionem tui, et ipsam etiam amicitiam et familiaritatem. Eandem admirationem repetit: quid est *filius hominis, quia reputas eum?* nam in hoc apparet, quanti Deus *hominem* aestimet, quia voluit *ei innotescere*, et cum eo familiaritatem amicitiamque contrahere.

5. *Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut umbra praetereunt.* Explicat causam suae admirationis, quia homo videlicet res modica est, et id modicum brevi desinit esse. Homo non est quidem *vanitas*, sed *vanitati similis*, quia modicum quid est: id autem quod est, semper mutatur et transit, donec deficiat: quomodo interdum *umbra* montium insensibiliter transit, donec nocte superveniente penitus evanescat.

6. *Domine, inclina coelos tuos, et descende: tange montes et fumigabunt.* 7. *Fulgura coruscationem, et dissipabis eos: emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.* David ex beneficiis Dei mirabatur misericordiam eius, quod tanta maiestas tantam vilitatem hominis aspicere dignaretur: nunc vero considerans ex adverso superbiam et caecitatem multorum hominum, precatur Deum, ut ostendat potentiam suam in eiusmodi homines, ut saltem timore poenae peccare cessent, qui amore conditoris bene agere nesciunt. *Domine, inclina coelos tuos et descende*, id est: Ostende praesentiam per nubes tenebrosas, per ignem de coelo missum, etc.; dicitur autem Deus *inclinare coelos*, quando demittit nubes et densas caligines, quae videntur partes coeli aërei, et eo modo *descendere* dicitur, quia demonstrat per eos effectus praesentiam suam: sic dicitur Exod. xix. Deus *descendisse in montem Sinai*, quando implevit

montem illud tenebrosa nube : et simul *montem* calefecit, ut totus *fumigare* videretur ; et hoc est, quod addit : *tange montes et fumigabunt*. Sed praecipue Deus praesentiam et potentiam suam demonstrat per horrenda *fulgura*, fulmina et tonitrua ; ideo addit : *fulgura coruscationem, et dissipabis eos*, superbos videlicet hostes piorum. *Emitte sagittas tuas*, id est, coelestia fulmina, et *conturbabis eos* ; nemo enim est tam ferox et audax, qui non expavescat fulmina de coelo, adversus quae nihil valet humana defensio.

8. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum*. Postquam rogaverat Deum generatim adversus impios et superbos, rogat pro se in particulari. *Emitte manum tuam de alto*, id est, de coelo potentiam tuam ostende, et *eripe me, et libera me de aquis multis*, id est, a multitudine hostium infidelium : et declarans ipse metaphoram, addit : *de manu filiorum alienorum*. Itaque *aquae multae* significant multitudinem *filiorum alienorum*, qui ad litteram sunt philisthaei, spiritualiter sunt haeretici. Ita s. Chrysostomus.

9. *Quorum os locutum est vanitatem : et dextera eorum, dextera iniquitatis*. Describit filios alienos, et dicit illos esse, qui et ore et opere *iniqui* sunt. *Quorum os locutum est vanitatem*, non veritatem, non legem tuam : et *dextera eorum non operatur*, nisi rapinas, oppressiones, homicidia, etc.

10. *Deus, canticum novum cantabo tibi : in psalterio decachordo psallam tibi*. 11. *Qui das salutem regibus, qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me*. 12. *Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem : et dextera eorum, dextera iniquitatis*. Duos priores

versus interponit, quasi parenthesis ex affectu in Deum: deinde revertitur ad describendos *filios alienos*. *Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno* scilicet gigantis Goliath: tu igitur sicut hactenus fecisti, *eripe me, et erue me de manu filiorum alienorum*, etc.

13. *Quorum filii sicut novellae plantationes in iuventute sua*. Declarat filios alienos ab affectu et opinione ipsorum: illi enim sunt filii alieni, qui non noverunt, neque diligunt, nisi terrenam felicitatem, in foecunditate et prosperitate *filiorum* et filiarum, in abundantia frumenti, vini, etc. *Quorum filii sicut novellae plantationes*, etc., id est: Tunc habentur felices *filii* huius saeculi, quando *filii* eorum sunt in iuventute sua similes *novellis plantationibus* arborum, virides, florentes, etc.

14. *Filiae eorum compositae, circumornatae ut similitudo templi*. Haec est altera felicitas temporalis, *filiae* formosae et *ornatae*, ut facile viros inveniunt, quibus nubant. *Filiae eorum compositae*, id est, splendidae et speciosae, ut ex Hebraeo desumitur. Quod sequitur de similitudine templi videtur intelligendum de *ornatu* tabernaculi, in quo erant multa *ornamenta* purpurae, byssi, auri, gemmarum, etc.

15. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud*. Hoc est tertium genus felicitatis filiorum alienorum, *promptuaria plena* variarum frugum, aliarumque rerum, *eructantia*, etc., id est, redundantia, videlicet prae nimia copia inclusarum opum, ut saepe oporteat eas ex uno *promptuario* in aliud transferre.

16. *Oves eorum foetosae, abundantes in egressibus suis: boves eorum crassae*. Hoc est quartum genus bonorum temporalium, *oves* foecundae et plurimae,

abundantes in egressibus suis, quae plurimae conspiciantur, cum egrediuntur ad pascua: et simul cum gregibus ovium armenta boum, et quidem pinguium.

17. *Non est ruina maceriae, neque transitus, neque clamor in plateis eorum. Hoc est ultimum bonorum temporalium: Non est ruina maceriae, id est, nullus hostis muros agrorum, domorum, urbium, vel arcium impiorum infestat, aut quatit, aut diruit, ut transeat ad iis nocendum. Hinc neque clamor bellicus, vel lamentum auditur inter eos, quod vivunt in alta pace et prosperitate. Ita Symmachus, Theodoretus et alii.*

18. *Beatum dixerunt populum cui haec sunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Haec est conclusio prophetae, qui refert ex sententia filiorum alienorum, beatum esse populum, cui haec sunt, quae paulo ante descripserat; sed ex propria sententia dicit beatum esse populum, non cui haec sunt, sed cuius Dominus Deus eius, id est, qui quantumvis pauper et miser, Deum novit, colit et amat, et quem vicissim Deus amat et curat: ex ipso enim solo omne bonum et summum bonum.*

PSALMUS CXLIV.

Synopsis

Laudat Deum ob eius immensum maiestatem, potentiam, iustitiam, sanctitatem, clementiam et bonitatem in omnes creaturas effusam. Praefigitur hic titulus: Laudatio ipsi David, id est, laudatio Dei ipsi Davidi a Spiritu Sancto dictata.

1. *Exaltabo te, Deus meus rex, et benedicam nomini tuo in saeculum et in saeculum saeculi.* 2. *Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.* Est prooemium, q. d. Propheta: *Exaltabo te*, etc., id est, in hoc psalmo celebrabo te versibus meis, ut tu, qui altissimus es, altissimus etiam habearis ab hominibus. Vocat autem Deum *regem*, vel ut ostendat Deum *regem* esse, qui omnes etiam *reges* regit, et a nullo regitur; vel quia Deum praecipue ob illa attributa celebrare intendit, quae illi conveniunt, ut *rex* est. Illud *in saeculum et in saeculum saeculi* significat hanc laudationem fore perpetuam, ita ut hic incipiat et perseveret per successiones hominum manentium hos psalmos usque ad mundi consummationem, et deinde in coelesti patria nunquam omnino deficiat.

3. *Magnus Dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis eius non est finis.* Incipit propheta laudare Deum a magnitudine. *Magnus Dominus*, et *leo laudabilis nimis*, id est, valde. *Et magnitudinis eius non est finis*, quia et latitudo magnitudinis Dei infinita est, et longitudo et sublimitas, et profundum pariter infinita sunt. Admonet autem nos haec infinita magnitudo Dei, ut sicut magnitudinis eius

non est finis, sic etiam laudationis nullus sit finis. Ita s. Augustinus.

4. *Generatio et generatio laudabit opera tua: et potentiam tuam pronuntiabunt.* Ab essentia Dei magni regis transit ad potentiam: *Generatio et generatio*, etc., q. d. Ego solus non sufficio laudare, sed omnes *generationes laudabunt opera tua et potentiam tuam*, quae in illis relucet, assidue praedicabunt.

5. *Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur: et mirabilia tua narrabunt.* Distinguit propheta opera Dei *mirabilia* in quaedam gloriosa et pulcherrima, in quaedam terribilia, et in quaedam amabilia: de primis hic loquitur. *Magnificentiam gloriae*, etc., id est, omnes generationes laudando loquentur excellentiam gloriosi operis maiestatis tuae, quale opus est coelum, quo nihil maius et pulchrius: et quia multa sunt in eo opere *mirabilia*, ideo laudantes *gloriosum* hoc opus, *mirabilia tua* magna et multa *narrabunt*. Per *sanctitatem Dei* hic iuxta hebraicam vocem intelligenda est maiestas, sive magnitudo, sive *magnificentia* Dei, inquit Bellarminus.

6. *Et virtutem terribilium tuorum dicent; et magnitudinem tuam narrabunt.* Hoc est alterum genus operum Dei, quo terror divinae maiestatis significatur: *et virtutem* sive robur et potentiam *terribilium* flagellorum tuorum, quibus impios castigare solitus es, *dicent*, et ex eis *magnitudinem* potentiae tuae *narrabunt*. Ad hoc opus pertinent diluvium generale tempore Noe, combustio quinque civitatum igne de coelo demisso, plagae Aegypti et Pharaonis, etc.

7. *Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt: et iustitia tua exultabunt.* Hoc est tertium genus operum Dei, quod ad misericordiam et benignitatem pertinet. *Memoriam abundantiae suavitati*

tuae exultabunt, id est, omnes generationes repletæ *abundantia suavitatis*, benignitatis et misericordiae tuæ, ex hac plenitudine *eructabunt memoriam* huius abundantissimæ *suavitatis*, id est, mandabunt posteritati *memoriam* tantorum beneficiorum, et ipsi quoque *exultabunt iustitia tua*, id est, ob fidelitatem qua promissa beneficia præstitisti. Ad hoc genus pertinent innumerabiles consolationes, quas toti generi humano divina bonitas tribuit ex vicissitudine dierum et noctium, ex pluviis de coelo, ex fecunditate terræ, etc., sed hæc levia et parva sunt, si comparentur ad dona gratiæ, ad incarnationem Verbi divini, ad passionem Christi, ad missionem Spiritus sancti, ad vocationem gentium, aedificationem Ecclesiæ, iustificationem, etc.

8. *Miserator et misericors Dominus: patiens, et multum misericors.* 9. *Suavis Dominus universis: et miserationes eius super omnia opera eius.* Dicent præterea omnes generationes: *Miserator*, etc. *Misericors Dominus* est, quia tollit miseras creando, gubernando, iustificando, glorificando: *patiens* sive longanimis, id est, perseveranter *misericors*. *Suavis est Dominus omnibus*, id est, omnibus benignus et *misericors*, nam *miserationes eius super omnia opera eius*, id est, in *omnia opera eius*: ita Ss. Chrysostomus, Augustinus et Hieronymus. Vel etiam dici potest cum s. Hilario et aliis, *super omnia opera eius*, id est, *miserordia Dei excellit omnibus operibus eius*. Porro quomodo hoc intelligendum sit, videri potest s. Thomas 2 2, q. 30, a. 4.

10. *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua: et sancti tui benedicant tibi.* 11. *Gloriam regni tui dicent: et potentiam tuam loquentur.* 12. *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiae regni tui.* 13. *Regnum tuum regnum*

omnium saeculorum : et dominatio tua in omni generatione et generationem. Nunc transit ad qualitatem regni Dei, cantaturus postea qualitates ipsius regis. *Confiteantur tibi*, seu laudent te *omnia opera tua*, de quibus hactenus te laudavi, et omnis generatio te laudabit, ut supra dictum est; sed *sancti tui benedicant tibi*, id est, qualitatem regni, de qua nunc dicturus sum, non noverunt nisi *sancti tui*, quibus per Spiritum s. revelatum est; illi ergo fideles tui, populus tuus peculiaris, laudent te. In quo autem laudaturi sint subiungit, dum ait: *Gloriam regni tui dicent.* *Gloria regni* est potentia regni, quae consistit in multitudine subditorum, et magnitudine divitiarum: Deus autem est omnium dominus. *Ut notam faciant*, etc., id est, ut *faciant filios hominum intelligere*, *regna* sua terrena nihil esse, si comparentur ad Dei *regnum*, ad eius potentiam, gloriam, magnificentiam et denique durationem; unde subditur: *Regnum tuum regnum omnium saeculorum*, etc., id est, reges terreni brevi tempore regnant, Deus autem in aeternum.

14. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Hic incipit explicare virtutes proprias regis, quae in Deo perfectissime inveniuntur, atque etiam in Christo homine. Prima virtus regia est probitas vitae, et praecipue veracitas *in verbis: Fidelis Dominus*, etc., i. e., verax, promissa omnia constanter observans, et innocens, impollutus, immaculatus *in omni opere suo.*

15. *Allevat Dominus omnes qui corruunt: et erigit omnes elisos.* Haec est altera regia virtus, misericordia. *Allevat*, in Hebraeo est, *sustentat*, sive *confirmat*. Dicitur autem Deus omnes *allevare et erigere*, quia ex natura sua pronus est ad *allevandum et erigendum*: quod si multos non *allevat*, neque

erigit, id facit vel ad probationem et coronam, vel ad poenam et supplicium, etc.

16. *Oculi omnium in te sperant, Domine; et tu das escam illorum in tempore opportuno.* 17. *Aperis tu manum tuam: et imples omne animal benedictione.* Tertia virtus regis liberalitas est: *Oculi omnium viventium in te sperant, Domine*, id est, ad te respiciunt sperantes a te cibum, unde aiantur; *et tu das escam illorum*, id est, et tu per creaturas tibi subiectas, terram, solem, pluvias producis fructus copiosos in *escam omnium viventium*, idque *in tempore opportuno*, id est, quando *tempus opportunum* est ut comedant. Vel, ut s. Chrysostomus habet: Dat Deus escam *in tempore opportuno*, quia non omnes fructus dat *omni tempore*, sed per *temporum* varietates varios fructus ex terra producit. In sequenti versu omnia verba sonant liberalitatem Dei: *Aperis manum*, id est, non stricta *manu*, sed larga atque aperta, summa liberalitate *implet*, id est, abunde satias *omne animal*, non solum hominem, sed *omnia animalia*, *benedictione*, id est, abundantia refectione.

18. *Iustus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Quarta virtus regia est iustitia: *Iustus Dominus in omnibus viis suis*, sive *in omnibus actionibus suis*: tribuit enim omnibus quod illis debetur. Idem significant sequentia verba: *et sanctus*, etc.

19. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* Quinta virtus regis est, facilem se praebere omnibus accedentibus, atque auxilium implorantibus. Hoc mirifice praestat Deus; nam audientiam negat nemini eum *invocanti in veritate*, quae particula omnes conditiones bonae orationis includit.

20. *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.* Sexta virtus regis est benignitas, qua non solum subditos audit, sed etiam petita benigne concedit, modo sint quae deceat regem concedere. *Voluntatem timentium se faciet*, id est, *audita oratione*, praestabit quod ipsi *volunt*: id ipsum pro more suo repetit: *et deprecationem eorum*, etc. Addit postremo, *et salvos faciet eos*, ut declaret, quomodo Deus semper *exaudiat deprecationes timentium se*; quamvis enim saepe videatur non *exaudire orationem timentium se*, tamen revera semper *exaudit*, eo modo, quo expedit ad salutem eorum.

21. *Custodit Dominus omnes diligentes se: et omnes peccatores disperdet.* Ultima virtus regis est providentia, qua et protegit iustos, ne ab iniustis opprimantur, et peccatores dissipat, ne iustis noceant, aut non tantum noceant quantum volunt. Tametsi aliquando sinit iustos a *peccatoribus* multa pati, tamen *custodit eos*, ne passio illis noceat, imo gratia sua facit ut multum prosit. Quod autem dicit: *omnes peccatores disperdet*, ideo verum est, quia *peccatores* vel convertentur ad iustitiam, vel si iniusti permanent, *disperdentur* per detrusionem in gehennam, ut ad iustos in aeternum appropinquari non possint.

22. *Laudationem Domini loquetur os meum: et benedicat omnis caro nomini sancto eius in saeculum, et in saeculum saeculi.* Concludit propheta psalmum, iungens finem cum principio, q. d. Propter haec omnia quae dixi, non solum ego *laudabo Dominum*, sed opto ut *omnis caro*, omnis homo, omne quod spirat et vivit, *semper laudet nomen Domini*.

PSALMUS CXLV.

Synopsis

Hortatur, ut in nullo homine, quamvis magno, spem ponamus, sed totam fiduciam nostram in Domino collocemus. Titulus est: Alleluia: additur in codicibus graecis et latinis: Aggaei et Zachariae, quia hic psalmus ab illis decantatus est, cum reverterentur e Babylone.

1. *Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo, quamdiu fuero.* Incipit per dialogismum, et hortatur animam suam, ut *Deum laudet*; respondet ergo anima: *Laudabo Dominum in vita mea*, etc., id quod s. Hilarius et s. Augustinus de aeterna, alii de praesente laude exponunt.

2. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* David hoc psalmo, uti et duobus sequentibus peregrinos potissimum invitatur, ut iter ad coelestem Ierusalem suscipiant: a quo itinere dum valde retardat spes felicitatis terrenaе, quae ab amicitia et obsequio principum dependet, monet propheta: *Nolite confidere in principibus*, et mox declarat *in filiis hominum*, id est, *in principibus*, qui sunt *hominum filii*, nam unus est princeps verus qui est conditor hominum, in quo confidere licet. *In quibus non est salus*, quod intelligi potest efficienter et formaliter: siquidem *in principibus terrenis non est salus*, quia *salvare non possunt alios, neque ipsi salvi sunt*, sed *salvandi cum caeteris, si digni sunt.*

3. *Exibit spiritus eius, et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Non esse salutem *in filiis hominum*, multis rationi-

bus demonstrare potuisset, unicam tantum affert, cui nemo contradicere potest, videlicet a morte communi petitam. *Exibit* e corpore spiritus, id est, anima eius, scilicet hominis, et sic *revertetur* homo in terram suam, quia corpus eius resolvetur in humum, unde formatum est. Et tunc *peribunt omnes cogitationes eorum*, scilicet, qui in illo spem suam posuerant, uti quotidiana docet experientia. Posset hoc etiam intelligi de *cogitationibus* ipsorum principum morientium, tunc enim evanescent omnia consilia, omnes machinationes, quas in vita exequi statuerant. Ita s. Hieronymus, Tirinus et alii.

4. *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius: qui fecit coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt.* Reiecta confidentia vana in principibus terrenis, docet propheta fiduciam ponendam esse in solo Deo vero: *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius*, id est, qui adiutorem et protectorem in hac vita Deum verum habet, qui est solus *Deus Iacob*. Postea declarat quis habeat Deum adiutorem, ac dicit: *Beatus, cuius spes est in Domino, Deo ipsius.* Probat denique optimum esse *sperare in Domino*, cum sit potentissimus, et Dominus omnium rerum, *fecit enim coelum et terram*, etc.

5. *Qui custodit veritatem in saeculum, facit iudicium iniuriarum patientibus: dat escam esurientibus.* Dicit Deum non tantum posse iuvare, cum potentissimus sit, sed etiam velle, quia iustus et misericors est. Et quidem quia iustus est, *custodit veritatem in saeculum*, id est, semper observat promissa; promisit autem auxilium sperantibus in se. Item, quia iustus est, *facit iudicium iniuriarum patientibus*, id est, iuste iudicat causam quam habent iusti adversus iniquos. Quia vero misericors est, *dat escam esurien-*

tibus, id est, per admirabiles vias providentiae prospicit sperantibus in se.

6. *Dominus solvit compeditos: Dominus illuminat caecos.* 7. *Dominus erigit elisos: Dominus diligit iustos.* Ut ostendat Deum omnino velle iuvare sperantes in se adiungit: *Dominus solvit compeditos a compedibus* concupiscentiae malae, et *illuminat coecos*, praebens *lumen* sapientiae et prudentiae interioris, ac ab infirmitatibus animae *erigit elisos*, vulneratos ac semivivos. Addit denique: *Dominus diligit iustos*, ut homo per gratiam sanatus, solutus et illuminatus speret perseverantiam de Dei benignitate.

8. *Dominus custodit advenas, pupillum et viduam suscipit: et vias peccatorum disperdet.* Alia metaphora docet propheta Deum protegere et adiuvare peregrinos suos. *Custodit enim advenas*, qui non sunt cives Babylonis, sed peregrini in terra aliena. *Pupillum et viduam suscipiet*; pupilli sunt homines iusti, qui humano praesidio destituti sunt, *Vidua* dicitur Ecclesia, quia est quasi *vidua*, cum virum suum non videat in terris, et multis iniuriis sit exposita. Hos igitur *suscipiet Dominus in domum suam*; et tunc *vias* per quas *peccatores* ambulant *disperdet* ac destruet.

9. *Regnabit Dominus in saecula: Deus tuus, Sion, in generationem et generationem.* Denique, peregrinatione finita et peccatoribus exterminatis, adveniet *regnum Christi sempiternum: Regnabit enim Dominus cum sanctis suis in saecula; regnabit*, inquam, o sancta *Sion*, Deus tuus cum filiis tuis in saecula saeculorum.

PSALMUS CXLVI.

Synopsis

Hortatur ad laudandum Deum ob eius beneficentiam, sapientiam, potentiam, providentiam, misericordiam et iustitiam. Titulus est: Alleluia.

1. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus; Deo nostro sit iucunda, decoraque laudatio.* Sensus est: *Laudate Dominum, quoniam bonum est et utile psallere Domino. Deo nostro sit iucunda, decoraque laudatio, id est, efficitur, ut laudatio, quam offertis Deo, dum psallitis, sit illi iucunda, ut revera erit, si sit etiam decora, id est, qualis decet eius maiestatem, pulchra, ornata virtutibus, etc.*

2. *Aedificans Ierusalem Dominus: dispersiones Israëlis congregabit.* Incipit materiam divinae laudis, et ait laudandum esse Dominum, quoniam ipse *aedificavit Ierusalem*, et ad eam *congregabit dispersiones Israëlis*, id est, filios Israëli in locis variis dispersos. Potest autem hoc intelligi cum s. Chrysostomo et Theodoro de terrena *Ierusalem*, ad quam captivitate soluta redierunt dispersi Iudaei. Item de aedificatione Ecclesiae per apostolorum praedicationem. Denique potest intelligi cum ss. Hilario et Augustino de coelesti *Ierusalem*, quae quotidie *aedificatur*, ascendentibus ad eam lapidibus vivis.

3. *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* Docet, quomodo dispersiones Israëlis, in quocunque sensu superius explicato id intelligatur, congregabit. Deus scilicet *sanat contritos corde*, id est *cor contritum* et humiliatum non despiciens, sanat a morbo peccatorum. Additur, *et alligat contritiones eorum*, id est, quasi fasciis, et iustar periti

chirurgi curat contractiones, vulnera, plagas, etc. Ita s. Hieronymus.

4. *Qui numerat multitudinem stellarum; et omnibus eis nomina vocat.* Secundo laudandum esse dicit propheta Deum a sapientia, quae tanta est, ut in *numerato* habeat omnes stellas, quae in Scripturis, Gen. xv et Ierem. xxxiii, comparantur arenae maris et revera sunt innumerabiles. *Et omnibus eis nomina vocat*, id est, tam perfecte et distincte pernoscit Deus singularum stellarum naturam, situm, ordinem, magnitudinem, vires, influxus et omnes alias differentias, ut singulas *nominatim* possit evocare. Ita Theodoretus, Genebrardus, Tirinus et alii.

5. *Magnus Dominus noster, et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus.* Non tantum sapientia, sed etiam virtus, id est, potentia Dei laudatur, quia Deus non solum novit numerum, naturas et proprietates stellarum; sed et vocando eas nominatim dedit illis esse et moveri. Illud autem *sapientiae eius non est numerus*, significat non esse numerum earum rerum, quas Deus per sapientiam suam cognoscit.

6. *Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.* Tertia laus Dei sumitur a misericordia et iustitia. Dominus enim ut pius et misericors suscipit humiles et mansuetos in protectionem suam, eosque exaltat usque ad coelum: contra autem ut iustus iudex superbos peccatores humiliat et deprimit, ut humi iaceant, et viles atque abiecti vivant.

7. *Praecinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.* Antequam pergat ad laudem providentiae divinae, iterum hortatur ad canendum et psallendum Deo.

8. *Qui operit coelum nubibus, et parat terrae plu-*

viam. Materiam confessionis esse docet providentiam Dei generalem, qua suis temporibus cogit aërem in *nubes*, non ut coelum obscuret, sed ut *pluviam* necessariam *terrae* tribuat, sine qua nihil in *terra* nasceretur.

9. *Qui producit in montibus foenum: et herbam servituti hominum*. Declarat cui usui deserviat *pluvia*, nimirum ut producat *in montibus foenum*, et *herba servituti hominum*. Illud *in montibus* significat *montibus* maxime necessarias esse *pluvias*, quoniam *valles* et *campi* per *aquas fluviorum* irrigari possunt. Illud *servituti hominum* s. Chrysostomus exponit *foenum* esse *herbam iumentorum*, ut *iumenta homini* deserviant. Vid. v. 14 psal. ciii.

10. *Qui dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* *flebili suo* *crocitu invocato* accipitur metaphorice. Pergit igitur in explicanda providentia Dei erga bestias et volatilia, ut inde intelligat homo, quanto magis sperare debeat se a Dei providentia nunquam esse deserendum; quod argumentum habetur etiam Matth. vi et Luc. xii. Caeterum quod hic de *pullis corvorum* dicitur, videtur intelligi de omnibus avibus, ut posita sit species pro genere. Ita s. Gregorius Nazianzenus.

11. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei*. 12. *Beneplacitum est Domino super timentes eum; et in eis qui sperant super misericordia eius*. Concludit psalmum, dicens Deo non gratos esse *superbos* in suis viribus confidentes; sed *humiles*, qui Deum timent, et in eo confidunt, qui similes sunt *pullis corvorum* infirmis, de se diffidentes, et Deum invocantes. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit*, id est, non placet Deo *fortitudo equi*, quatenus de eo superbiunt homines: *neque in tibiis viri beneplacitum*

erit ei, neque complacet sibi Deus in tibiis robustis hominum, quatenus in illis ipsi confidunt, ut Dei auxilio sibi egere non videantur ad evadenda pericula; sed beneplacitum est Domino super timentes eum, etc., id est, super humiles ac trementes ad mandata Dei, et qui non in suis viribus confidunt, sed in Dei misericordia totam spem suam ponunt. Ita passim interpretes.

PSALMUS CXLVII.

Synopsis

Hortatur rursus populum Dei ad laudandum Deum ob multa beneficia in eum collata. Titulus est: Alleluia. Caeterum S. Hilarius et S. Augustinus hunc psalmum exponunt de coelesti Ierusalem.

1. *Lauda, Ierusalem, Dominum: lauda Deum tuum, Sion. Ierusalem civitas sancta est, Sion pars eius civitatis nobilior, et pro ipsa tota civitate accipitur: proinde idem est, lauda, Ierusalem, et lauda, Sion.*

2. *Quoniam confortavit seras portarum tuarum; benedixit filiis tuis in te.* Haec est ratio, cur debeat Ierusalem laudare Dominum: quia dedit illi securitatem et abundantiam. Deus igitur *confortavit seras portarum* Ierusalem, ut nulla vi expugnari possint, et qui intus sunt, securi sint. Atque in hanc tam munitam civitatem benedictio divina abundantiam omnium bonorum intulit. Haec quidem aliquo modo, sed valde imperfecte conveniebant terrena Ierusalem; perfecte autem conveniunt coelesti Ierusalem, ubi securitas est aeternitas, et benedictio est fruitio summi boni.

3. *Qui posuit fines tuos pacem: et adipe frumenti satiat te.* Non solum munitissima est sancta civitas Ierusalem, sed immunis a bellorum periculis. *Qui posuit fines tuos pacem*, id est, *pacem* diffudit per universam regionem tuam, usque ad ultimos eius *fines*. Nec solum haec civitas abundat copia bonorum, sed habet bona optima, atque adeo ipsam medullam bonorum: *et adipe frumenti satiat te*, id est, *frumento* pingui et medullosa, id est, optimo. Haec omnia proprie et absolute soli patriae coelesti conveniunt, ut patet consideranti. S. Hieronymus, qui cum s. Chrysostomo docet hunc psalmum Ecclesiae christianae suo modo convenire, per *adipem frumenti* doctrinam Christi et sanctissimam Eucharistiam intelligit.

4. *Qui emittit eloquium suum terrae; velociter currit sermo eius.* Hortatur nunc propheta sanctam civitatem ut Deum etiam laudet pro beneficiis nationibus aliis praestitis, ex quibus cognoscat quanto maiora dona sibi, quam aliis concesserit Deus. *Qui emittit eloquium suum terrae*, id est, qui praecepta et decreta providentiae suae dat universae terrae, et *eius sermo velociter currit*, id est, cuius praecepta et decreta celerrime deferuntur ad omnes res creatas, mox penetrant omnia, et executioni mandantur. Significatur his verbis ordo providentiae divinae se ad omnia extendens, idque summa velocitate, quia Deus ubique est.

5. *Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.* 6. *Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Ab universali providentia descendit ad effectum unum particularem, in quo apparet admirabilis potentia et sapientia Dei, ob quam merito laudari debet Dominus. Effectus autem ille sensu percipitur, omni-

bus notissimus, in frigore scilicet et calore aëris. *Qui dat nivem sicut lanam*, id est, *nivem* demittit e coelo tantae magnitudinis, ut frusta singula floccos lanae imitari videantur. *Nebulam sicut cinerem spargit*, id est, tanta densitate pruinae caliginosam, sive *nebulam* ex pruina diffundit, ut *cinerem spargere* videatur: *cinis* enim fusus obscurissimam *nebulam* facit. *Mittit crystallum suam sicut buccellas*, id est, iussu suo causa est, ut glacies frigidissima in terra existat. *Crystallus* vox graeca est, et hoc loco glaciem significat. Illud *sicut buccellas* significat fragmenta glaciei, quae tempore frigidissimo passim inveniuntur in terra, ubicunque aliquid aquae fuerat. *Ante faciem frigeris eius quis sustinebit?* Haec est apostrophe prophetae frigoris vehementiam admirantis, q. d. Quis tantum *frigus* tolerare poterit? Caeterum est hebraica phrasis, *ante faciem* pro *coram*, usitatissima.

7. *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea; flabit spiritus eius, et fluent aquae.* Ostendit quanta facilitate et celeritate Deus nivem, pruinae et glaciem, de quibus dixerat, iterum recedere faciat: *Emittet enim verbum*, id est, *mandatum suum*, et *liquefaciet ea*, et continuo frigus remittetur. Modus autem, quo id faciet Deus, explicatur his verbis: *flabit spiritus eius, et fluent aquae*, id est, iubente Deo surget ventus australis, *perflabit* undique aërem, et nix, pruina et glacies solventur in aquas.

8. *Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias et iudicia sua Israël.* 9. *Non fecit taliter omni nationi; et iudicia sua non manifestavit eis.* Concludit ostendens, quantum intersit inter providentiam Dei erga populum suum et alias *nationes*. Alias enim *nationes* docuit Deus per effectus naturales, ut ex rebus creatis agnoscerent Creatorem, sed populum suum

ipse docuit per prophetas suos: *Qui annuntiat verbum suum Iacob*, id est, lauda Ierusalem Dominum, *qui annuntiat verbum suum populo suo Iacob*, loquens illi per Moysen et prophetas, et qui demonstravit *iustitias et iudicia sua Israëli* per Moysen, cui Deus ipse legem dedit, ut eam traderet populo suo *Israël*: et ex hoc intelligis, quia *non fecit taliter omni nationi*, quia tibi soli non aliis *iudicia sua*, leges videlicet suas *manifestavit*. Porro ista conclusio convenit quidem terrenae Ierusalem; sed multo magis convenit spirituali Ierusalem, nimirum Ecclesiae Dei quae recepit ipsum VERBUM Dei incarnatum, multo sublimiorem legem, *iustitias et iudicia* didicit; sed perfectissime convenit coelesti Hierosolymae, cui Deus ipse coram annuntiat *Verbum suum*, et in ipso *Verbo* vident omnes habitatores Ierusalem iudicia Dei, ordinem, dispositionem, ac rationes providentiae divinae. Atque haec videtur esse literalis huius psalmi expositio, praecipue desumpta ex s. Chrysostomo.

PSALMUS CXLVIII.

Synopsis

Omnes creaturas invitatur ad laudandum Deum. Titulus est: Alleluia.

1. *Laudate Dominum, de coelis: laudate eum in excelsis.* 2. *Laudate eum, omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.* Primo loco invitantur angeli, qui in summo coelo, tanquam in ipsa aeterni regis aula resident. Illud *de coelis*, significat locum, ubi angeli degunt, ut sensus sit: *Laudate Dominum de habitaculo vestro coelesti, vos omnes, qui*

estis in *coelo*. Idem fere repetitur per illud in *excelsis*. Deinde clarius explicatur qui sint, qui habitant in *excelsis*, cum dicitur *laudate eum omnes angeli eius*, et idem pro more suo aliis verbis repetit: *laudate eum, omnes virtutes eius*, id est, omnis exercitus eius, ut est in Hebraeo.

3. *Laudate eum, sol et luna: laudate eum, omnes stellae et lumen*. 4. *Laudate eum, coeli coelorum; et aquae omnes quae super coelos sunt, laudent nomen Domini*. Ab angelis descendit ad corpora coelestia, quae non *laudant* mente vel intelligentia qua carent, sed *laudant* magnitudine, velocitate, splendore et pulcritudine admirabili: quomodo omne opus egregium opificem *laudare* dicitur. Per *coelos coelorum* intelliguntur *coeli superiores*, quibus subiecti sunt *coeli inferiores*, in quibus nubes concresecunt et aves volant. His *coelis superioribus* adiungit *aquas, quae super coelos sunt*, ut nihil omnino sit in parte mundi superiore, cuius non meminerit. De praedictis *aquis* videri potest c. I. Genes.

5. *Quia ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt*. 6. *Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi; praeceptum posuit et non praeteribit*. Haec est ratio cur omnia, quae hactenus nominata sunt Deum laudare debeant: quoniam *ab illo facta sunt, et in aeternum incorrupta* permanebunt; et quod admirabilius est, unico verbo ac imperio *fecit* ut essent. Ipse dixit: *Fiat lux, et facta est lux*, etc.; *ipse mandavit* rei non existenti ut existeret, et mox obediens coepit existere, quae antea nihil erat. *Statuit ea in aeternum, et in saeculum saeculi*, id est, constituit, ut semper maneant, et non ad moerem inferiorum corporum orientur et occidant. *Praeceptum posuit*, id est, decretum de hac re fecit Deus, et hoc decretum *non praeteribit*, sed ma-

nebit, et manens res ipsas conservabit, ut nec ipsae praetereant. Per hoc *praeceptum* intelligitur natura incorruptibilis, quam Deus angelis et coelestibus corporibus in creatione attribuit. Potest etiam per *praeceptum* positum intelligi *praeceptum* datum rebus coelestibus, ut semper serviant humano generi, quod *praeceptum non praeteribit*, id est, non irritum erit, ut revera non irritum esse experimento discimus. Ita s. Hilarius.

7. *Laudate Dominum de terra: dracones et omnes abyssi.* Transit ad elementa corruptibilia et mundum inferiorem, ubi sunt *terra*, aqua et aër: animantia *terrestria*, aquatica et volatilia, etc. Dixerat ergo: *Laudate Dominum de coelis*, iam ait: *laudate Dominum de terra*, quoniam Dominus in principio creavit coelum et *terram*. Postea incipit particularia numerare, et primo meminit aquarum et piscium, nam per *dracones* hic intelliguntur magni pisces, et per *abyssos* intelliguntur aquarum profunda, in quibus pisces habitant. Ita s. Ioannes Chrysostomus.

8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quae faciunt verbum eius.* Ab aquarum abisso transit ad aërem, ubi inveniuntur *ignes*, id est, fulgura, fulmina, coruscationes: item *grando*, *nix*, *glacies*, *spiritus procellarum*, id est, venti vehementes qui tempestates excitant, etc., quae omnia *faciunt verbum eius*, id est, obediunt praecepto eius; quod Spiritus sanctus addi voluit, ut intelligamus Deum his rebus uti, tanquam instrumentis iustitiae vel misericordiae suae ad malos puniendos, vel bonos admonendos, ut quando v. g. fulmine quis percellitur, *grando* vineas urit, vi *procellarum* navigia pereunt, etc.

9. *Montes et omnes colles: ligna fructifera et o-*

mnes cedri. 10. *Bestiae et universa pecora: serpentes et volucres pennatae.* Nunc ab aëre ad terram revertitur, et enumerat primo partes ipsius terrae eminentiores, *montes et colles*, deinde transit ad ea, quae nascuntur ex terra, et primo nominat *ligna fructifera*, postea *infructifera*, quales in primis sunt *cedri*; denique convertit orationem ad animantia, atque ista omnia ad Deum suo modo laudandum provocat.

11. *Reges terrae et omnes populi: principes et omnes iudices terrae.* 12. *Iuvenes et virgines: senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius.* Postremo genus humanum citat ad laudes Dei, atque ut omnes homines comprehendat, tres differentias hominum enumerat, potestatis, sexus et aetatis. *Omnes igitur sive principes, sive privati, sive viri, sive foeminae, sive senes, sive adolescentes laudent nomen Domini*, quoniam *exaltatum est nomen eius solius*: id est, quoniam non est aliud *nomen* vere sublime et altum et omni laude dignum, nisi *nomen* Dei: omnis alia magnitudo habetur ab eo, qui solus Altissimus iure nominatur et est.

13. *Confessio eius super coelum et terram: et exaltavit cornu populi sui.* Haec est ratio cur *exaltatum est nomen eius solius*, quia scilicet *confessio eius est super coelum et terram*, id est, quia omnia, quae in *coelo* et in *terra* sunt, *confitentur* laudes eius, ita pleni sunt *coeli* et *terra* gloria eius. *Et exaltavit cornu populi sui*, id est, et ipse per se solus sublimis et excelsus *exaltavit* potentiam et gloriam populi sui Israël, quia elegit eum sibi in *populum* peculiarem, deditque illi divinas leges, ac singulari providentia curam illius gerit.

14. *Hymnus omnibus sanctis eius: filiis Israël,*

populo appropinquanti sibi. Haec est conclusio psalmi, q. d. Igitur *Hymnus* Deo canendus praecipue convenit *omnibus sanctis eius*, id est, *omnibus* Deo dicatis et consecratis, *filiis Israël* videlicet, qui *populus* est praeter caeteros Deo ipsi *propinquans* vera cognitione et fide, vero cultu et adoratione. Porro haec non tam dicuntur de *filiis Israël* secundum carnem, quam de *filiis Israël* secundum spiritum. Ita s. Augustinus.

PSALMUS CXLIX.

Synopsis

Monetur populus Dei ut laudet Dominum suum praeter caeteras gentes, ob gloriam sempiternam sibi promissam. Titulus est: Alleluia.

1. *Cantate Domino canticum novum: laus eius in Ecclesia sanctorum.* Prius hic versiculus alloquitur eos, quibus dictum est supra, *Hymnus omnibus sanctis eius*, etc. Sunt enim hi tres ultimi psalmi inter se connexi et unus continuatur cum alio; et forsitan haec causa est cur in officio ecclesiastico in laudibus tres isti psalmi quasi unus concinnantur. Ait igitur: O vos sancti, qui populus estis Deo propinquans, *cantate Domino canticum novum*, q. d. Caeterae creaturae cantant *canticum* ratione creationis, quod est *canticum* vetus: vos autem *cantate canticum* ratione renovationis iustificationis, glorificationis, quod est *canticum novum: laus eius in Ecclesia sanctorum*, q. d. Vos sancti *cantate Domino canticum novum*, quia decet ut laus Dei potissimum audiatur in congregatione sanctorum.

2. *Laeletur Israël in eo qui fecit eum: et filii*

Sion exultent in rege suo. Id est, *Israël* populus Dei electus, qui cantat canticum novum, cantando *laetetur in eo qui fecit eum*, in ipso conditore suo, qui non solum creavit naturam, sed etiam donavit gratiam, et sic fecit non solum ut esset, sed etiam ut esset *Israël*. Idem pro more repetit: *et filii Sion exultent in rege suo*, nempe Deo et Christo.

3. *Laudent nomen eius in choro; in tympano et psalterio psallant ei.* Id est: Neque solum cantent canticum novum cum laetitia et exultatione; sed etiam instrumenta musica vocibus adiungant; id est, non ore tantum, sed etiam opere Deum laudent. Ait igitur: *Laudent eum in choro* vocibus consonis simul concinentes, *in tympano et psalterio* manibus psallentes laetitiae sonitum edant.

4. *Quia beneplacitum est Domino in populo suo: et exaltabit mansuetos in salutem.* Haec est ratio cantici novi, quia *complacuit* sibi Dominus *in populo suo*, id est, amavit eum ab aeterno ex mera benignitate sua. Et non *complacuit* solum sibi Deus in mente sua, sed hoc *beneplacitum* reipsa implebit, quia *exaltabit mansuetos in salutem*, id est, populum suum humilem et mitem *exaltabit* usque ad summam excellentiam, quae est aeterna salus.

5. *Exultabunt sancti in gloria: laetabuntur in cubilibus suis.* Hic iam describit futuram gloriam electorum, ob quam toto corde cantare debeant canticum novum: *Exultabunt sancti in gloria* illa coelesti, ad quam non perveniunt nisi veri sancti; et simul *laetabuntur in cubilibus suis*, in loco illo summae quietis in thronis coelestibus.

6. *Exaltationes Dei in gutture eorum: et gladii ancipites in manibus eorum.* In illa superna felicitate adeo non sunt otiosi sancti, ut et ore cantent, et *manibus* gladios vibrent. Per *gladios ancipites*,

sive utrimque acutos, intelligitur potestas iudiciaria, qua sancti omnes in die novissimo ferient persecutores suos. Ita Arnobius, Theodoretus, Bellarminus, Tirinus, et alii.

7. *Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Ad hoc utentur sancti gladiis bis acutis, ut in die iudicii vindictam sumant de hostibus suis, et eos increpent, atque eis exprobrent iniquitates suas. *Stabunt enim tunc iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.* Sap. c. v.

8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* Tunc sancti per potestatem iudiciariam alligabunt reges gentium in compedibus et nobiles eorum, id est, principes terrae in manicis ferreis, quando cum Christo in extremo die iudicii sententiam ferent adversus Antiochos, Herodes, Nerones, et caeteros principes infideles et impios, ac dicent: *Ligatis manibus et pedibus proiciantur in tenebras exteriores.*

9. *Ut faciant in eis iudicium conscriptum: gloria haec est omnibus sanctis eius.* Hic aperte declarat propheta quorsum dixerit: *ad faciendam vindictam, etc., ut faciant, inquit, sancti, qui in terris iniuste iudicati sunt, iustum iudicium iam olim conscriptum, decretum et firmatum.* Et *gloria haec sedendi cum Christo in nubibus, et iudicandi mundum et principes terrae erit omnibus sanctis eius.*

PSALMUS CL.

Synopsis

In hoc postremo psalmo irritatur populus Dei, ad laudes Domini in coelo habitantis, cum omnibus musicis instrumentis, ut hoc modo demonstret ardentissimum affectum suum. Titulus est: Alleluia.

1. *Laudate Dominum in sanctis eius; laudate eum in firmamento virtutis eius.* Sensus est: O vos electi et sancti, *laudate Dominum* in sanctuario coelesti habitantem: nam per vocem *in sanctis eius*, intelligitur sanctuarium coeleste, ut Symmachus et Aquila, et etiam alii habent. Quoniam ss. PP. illud *in sanctis eius*, exponunt de *sanctis* hominibus, quatenus in eis Deus habitat, ut in praecipuo sanctuario suo. Et *laudate eum in firmamento virtutis eius*, id est, in fortissimo palatio suo, quod est coelum, habitantem, vel in firmissimo throno suo coelesti residentem, adeoque idem repetitur. Porro quemadmodum Patres dicunt, per sanctuarium intelligi *sanctos* homines, sic etiam dici potest, per firmamentum sideribus plenum, intelligi posse ecclesiam sanctorum, qui veluti stellae fulgent, et in quibus Deus sedet, ut in praecipuo solio suo.

2. *Laudate eum in virtutibus eius; laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.* Docet Deum esse *laudandum*, non quia in coelo simpliciter habitat; sed quia in eo habitat, ut omnipotens omnium rerum dominus. *Laudate eum in virtutibus eius*, id est, ob magnas vires, et magnum robur eius; *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius*, id est, magnifice *laudate eum*, quoniam eximia est *magnitudo eius*, cum sit simpliciter et absolute magnus.

3. *Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.* Tria sunt musicorum instrumentorum genera, vox, flatus et pulsus. Hic nominantur *tubae*, quae flatu sonitum reddunt, *psalterium et cithara*, quae pulsu chordarum resonant.

4. *Laudate eum in tympano et choro; laudate eum in chordis et organo.* Hic numerantur omnia genera: nam *tympanum et chordae* pulsantur: *chorus* est concentus vocum humanarum, quamvis aliqui velint *chorum* esse instrumentum musicum nobis incognitum: *organum* inflatur et probabiliter dici potest esse instrumentum plurium tibiarum simul coniunctarum, ad cuius imitationem postea facta sunt ea quae nos *organa* vocamus.

5. *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis; omnis spiritus laudet Dominum.* *Cymbala* quatiuntur, et tinniunt; dicuntur autem *cymbala iubilationis*, quales sunt campanae apud christianos, quia magnum latumque sonitum reddunt. Mystice a PP. instrumenta ista exponuntur vel pro sensibus corporis, ut a s. Chrysostomo, vel pro virtutibus animi, ut a s. Augustino. Psaltes denique concludit, *omnis spiritus laudet Dominum*, id est, *omnia* quae vivunt, sive spirituali *vita*, ut angeli, sive animali, ut bestiae, sive utraque, ut homines, sive metaphorica *vita*, ut caetera omnia quae licet in se inanimata sint, tamen Deo vivere dicuntur, quoniam ita serviunt et obediunt Deo, ac si viverent et sentirent, et Creatoris mandata perciperent; unde est illud Ecclesiasticum: *Regem cui omnia vivunt.* Nos ita Dominum *laudemus* in terris, ut eundem aliquando in aeternum *laudare* mereamur in coelis. Amen.

APPENDIX

DE SINGULORUM PSALMORUM EX ORDINE
 SECUNDUM HUCUSQUE DICTA
 QUALITATE

1. *Beatus vir qui non abiit.* — Laus et descriptio viri boni, et contra.

2. *Quare fremuerunt gentes?* — Laus Christi a persecutionibus in vita: item triumphus Christi.

3. *Domine, quid multiplicati sunt.* — Precatio regis pro populo: item pro victoria et triumpho de hostibus.

4. *Cum invocarem.* — Gratiarum actio ob liberationem a malis: item precatio regis pro populo: item precatio querula de hostibus.

5. *Verba mea.* — Laudes bonorum et vituperationes malorum: item obiurgatio malorum et triumphus de iis: item precatio querula de hostibus: item pro liberatione ab iis: item victoria et triumphus de iis.

6. *Domine, ne in furore tuo... Miserere mei...* — Precatio poenitentialis pro peccato: item contra morbum: item contra varias calamitates; item ad malum amovendum in genere.

7. *Domine, Deus meus.* — Precatio pro liberatione ab hostibus.

8. *Domine Dominus noster.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis; item laus hominis in genere: item triumphus Christi.

9. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo.* — Gratiarum actio ob victoriam: item

laus et descriptio viri boni: item precatio querula de hostibus: item pro liberatione ab iis: item pro victoria et triumpho de iis.

10. *In Domino confido.* — Gratiarum actio ob beneficentiam: item laus et descriptio viri boni: item obiurgatio malorum, et triumphus de iis.

11. *Salvum me fac, Domine.* — Precatio contra hostes in genere.

12. *Usquequo Domine.* — Laudes bonorum et vituperationes malorum; item precatio pro liberatione ab hostibus.

13. *Dixit insipiens in corde suo... abominabiles facti sunt in studiis suis.* — Laus et descriptio viri boni et contra.

14. *Domine, quis habitabit.* — Laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum et vituperationes malorum.

15. *Conserva me, Domine.* — Laus et descriptio viri boni et contra: item triumphus Christi.

16. *Exaudi, Domine, iustitiam meam.* — Precatio querula de hostibus; item pro liberatione ab iis.

17. *Diligam te, Domine.* — Gratiarum actio ob victoriam: item de Christo et Ecclesia in genere.

18. *Coeli enarrant gloriam Dei.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis: item a lege et bonitate; item de Christo et Ecclesia in genere: item pro bono sibi adipiscendo in specie.

19. *Exaudiat te Dominus.* — Idem de Christo: item precatio populi pro rege.

20. *Domine, in virtute tua.* — Idem: item precatio populi pro rege.

21. *Deus, Deus meus.* — Laus Christi a passione et morte illius: item precatio contra varias calamitates.

22. *Dominus regit me.* — Gratiarum actio ob beneficentiam: item laus et descriptio viri boni: item triumphus Christi.

23. *Domini est terra.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis: item laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum, et vituperationes malorum: item triumphus Christi.

24. *Ad te, Domine, levavi animam meam.* — Precatio contra varias calamitates: item ad malum amovendum in genere: item pro liberatione ab hostibus.

25. *Iudica me, Domine.* — Precatio ad Dominum, ut eum probet; item ut duplici igne eum urat.

26. *Dominus, illuminatio mea.* — Gratiarum actio ob beneficentiam: item precatio pro bono adipiscendo in genere: item in specie pro se: item precatio contra hostes in genere.

27. *Ad te, Domine, clamabo.* — Precatio pro victoria et triumpho de hostibus.

28. *Afferte Domino, filii Dei.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis.

29. *Exaltabo te, Domine.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis: item gratiarum actio ob liberationem a malis.

30. *In te, Domine, speravi... libera me. Inclina ad me.* — Laus Christi a passione et morte illius: item precatio pro liberatione ab hostibus: item pro victoria et triumpho de iis.

31. *Beati, quorum remissae.* — Precatio poenitentialis pro peccato.

32. *Exultate, iusti, in Domino.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis.

33. *Benedicam Dominum in omni tempore.* — Gratiarum actio ob liberationem a malis: item laudes bonorum ac vituperationes malorum.

34. *Judica, Domine, nocentes me.* — Precatio querula de hostibus: item pro liberatione ab iis.

35. *Dixit iniustus ut delinquat.* — Laus et descriptio viri boni et contra: item laudes bonorum et vituperationes malorum; item obiurgatio malorum, ac triumphus de iis: item precatio contra hostes in genere.

36. *Noli aemulari in malignantibus.* — Idem.

37. *Domine, ne in furore... Quoniam sagittae.* — Laus Christi a persecutionibus in vita, item a passione et morte illius: item precatio poenitentialis pro peccato: item contra morbum: item contra varias calamitates.

38. *Dixi: Custodiam vias meas.* — Laus Christi a persecutionibus in vita: item precatio pro liberatione ab hostibus.

39. *Expectans expectavi Dominum.* — Praeconium laudis Dei a rebus gestis in specie: item gratiarum actio ob liberationem a malis: item triumphus Christi: item precatio pro liberatione ab hostibus: item pro victoria et triumpho de iis.

40. *Beatus qui intelligit.* — Laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum et triumphus de iis: item laus Christi a persecutionibus in vita: item a passione et morte illius; item de Christo et Ecclesia in genere: item precatio contra hostes in genere: item querula de iis.

41. *Quemadmodum desiderat cervus.* — Precatio contra hostes in genere: item pro liberatione ab iis.

42. *Judica me Deus.* — Precatio querula de hostibus: item pro liberatione ab iis.

43. *Deus, auribus nostris audivimus.* — Precatio contra hostes in genere: item pro liberatione ab iis.

44. *Eruclavit cor meum.* — De Christo et Ecclesia in genere.

45. *Deus noster refugium et virtus.* — Gratiarum actio ob liberationem a malis: item ob beneficentiam: item de Christo et Ecclesia in genere.

46. *Omnes gentes plaudite manibus.* Praeconium laudis Dei a rebus gestis in specie: item gratiarum actio, ut proxime supra: item triumphus Christi: item de Christo et Ecclesia in genere.

47. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis.* — Idem.

48. *Audite haec omnes gentes.* — Laus et descriptio viri boni et contra.

49. *Deus deorum Dominus locutus est.* — Laudes honorum, et vituperationes malorum: item obiurgatio malorum, et triumphus de iis.

50. *Miserere mei, Deus.* — Precatio poenitentialis pro peccato.

51. *Quid gloriaris in malitia?* — Laudes bonorum et vituperationes malorum: item obiurgatio malorum, et triumphus de iis: item laus Christi a persecutionibus in vita.

52. *Dixit insipiens in corde suo... abominabiles facti sunt in iniquitatibus.* — Obiurgatio malorum et triumphus de iis.

53. *Deus, in nomine tuo.* — Precatio pro liberatione ab hostibus.

54. *Exaudi, Deus, orationem meam.* — Laus Christi a persecutionibus in vita: item a passione et morte illius: item precatio querula de hostibus.

55. *Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit.* — Precatio pro victoria et triumpho de hostibus.

56. *Miserere mei Deus, miserere mei.* — Precatio pro liberatione ab hostibus.

57. *Si vere utique iustitiam loquimini.* — Obiurgatio malorum et triumphus de iis: item precatio querula de iis.

58. *Eripe me de inimicis meis.* — Laus Christi a

passione et morte illius; item triumphus Christi: item precatio contra hostes in genere: item querula de iis: item pro liberatione ab iis: item pro victoria et triumpho de iis.

59. *Deus, repulisti nos.* — De Christo et Ecclesia in genere: item precatio regis pro populo: item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

60. *Exaudi, Deus, deprecationem meam.* — Precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

61. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* — Gratiarum actio ob liberationem a malis: item ob beneficentiam.

62. *Deus, Deus meus.* — Idem.

63. *Exaudi, Deus, orationem meam.* — Precatio pro liberatione ab hostibus.

64. *Te decet hymnus, Deus, in Sion.* — Precatio regis pro populo: item pro bono adipiscendo in specie.

65. *Iubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite.* — Gratiarum actio ob liberationem a malis: item precatio regis pro populo.

66. *Deus misereatur nostri.* — Precatio ad adipiscendum bonum in genere.

67. *Exurgat Deus.* — Gratiarum actio ob victoriam: item triumphus Christi.

68. *Salvum me fac Deus.* — Laus Christi a passione et morte illius: item precatio contra varias calamitates: item querula de hostibus: item pro liberatione ab iis: item pro victoria et triumpho de iis.

69. *Deus, in adiutorium meum intendē.* — Precatio pro bono adipiscendo in genere: item ad malum amovendum in genere: item pro victoria et triumpho de hostibus.

70. *In te, Domine, speravi... libera me, et eripe*

me. — Laus Christi a persecutionibus in vita: item a passione et morte illius: item triumphus Christi: item precatio ad malum amovendum in genere: item precatio pro liberatione ab hostibus.

71. *Deus, iudicium tuum regi da.* — De Christo et Ecclesia in genere: item precatio populi pro rege.

72. *Quam bonus Israël, Deus.* — Laudes bonorum et vituperationes malorum.

73. *Ut quid, Deus, repulisti in finem?* — Precatio contra hostes in genere: item querula de iis.

74. *Confitebimur tibi, Deus.* — Gratiarum actio ob liberationem a malis: item laudes bonorum et vituperationes malorum: item oburgationes malorum, et triumphus de iis: item triumphus Christi.

75. *Notus in Iudaea Deus.* — Praeconium laudis Dei a rebus gestis.

76. *Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Deum.* — Precatio contra varias calamitates: item ad malum amovendum in genere.

77. *Attendite, popule meus, legem meam.* — Praeconium laudis Dei a rebus gestis in genere.

78. *Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam.* — Precatio contra hostes in genere.

79. *Qui regis Israël, intende.* — Idem.

80. *Exultate Deo adiutori nostro.* — Praeconium laudis Dei a rebus gestis in specie: item gratiarum actio in genere.

81. *Deus stetit in synagoga eorum.* Obiurgatio malorum et triumphus de iis.

82. *Deus, quis similis erit tibi?* — Precatio pro victoria et triumpho de hostibus.

83. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine!* — Praeconium laudis Dei a lege, bonitate et habitatione illius: item laus et descriptio viri boni: item

laudes bonorum et vituperationes malorum: item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

84. *Benedixisti, Domine, terram tuam.* — Idem.

85. *Inclina, Domine, aurem tuam.* — Laus Christi a persecutionibus in vita: item a passione et morte illius: item triumphus Christi: item precatio pro bono adipiscendo in genere: item precatio contra varias calamitates: item ad malum amovendum in genere; item precatio contra hostes in genere.

86. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* — Praeconium laudis Dei ad habitationem ipsius: item triumphus Christi: item de Christo et Ecclesia in genere.

87. *Domine Deus salutis meae.* — Laus Christi a passione et morte illius: item precatio contra varias calamitates: item ad malum amovendum in genere.

88. *Misericordias Domini in aeternum cantabo.* — Praeconium laudis Dei a rebus gestis in specie: item laus Christi a persecutionibus in vita: item triumphus Christi: item precatio contra varias calamitates: item ad malum amovendum in genere.

89. *Domine, refugium factus es nobis.* — Praeconium laudis Dei a bonitate ipsius: item precatio contra morbum.

90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi.* — Laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum et vituperationes malorum.

91. *Bonum est confiteri Domino.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis: item laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum et vituperationes malorum: item obiurgatio malorum et triumphus de iis.

92. *Dominus regnavit, decorem indutus est.* — Idem: item de Christo et Ecclesia in genere.

93. *Deus ultionum Dominus.* — Praeconium laudis Dei a rebus gestis in specie: item obiurgatio malorum, et triumphus de iis: item precatio pro victoria et triumpho de iis.

94. *Venite, exultemus Domino.* — Praeconium laudis Dei in se: item a rebus conditis.

95. *Cantate Domino canticum novum: cantate.* — Idem: item triumphus Christi.

96. *Dominus regnavit: exultet terra.* — Obiurgatio malorum et triumphus de iis: item triumphus Christi: item de Christo et Ecclesia in genere.

97. *Cantate Domino canticum novum: quia...* — Praeconium laudis Dei in se: item triumphus Christi.

98. *Dominus regnavit: irascantur populi.* — Idem: item triumphus Christi.

99. *Iubilate Deo, omnis terra: servite...* — Idem.

100. *Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine.* — Idem: item a bonitate: item laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum et vituperationes malorum: item triumphus Christi.

101. *Domine, exaudi orationem meam, et clamor...* — Precatio regis pro populo: item poenitentialis pro peccato: item contra hostes in genere.

102. *Benedic, anima mea, Domino: et omnia...* — Praeconium laudis Dei in se: item a bonitate: item gratiarum actio in genere: item ob beneficentiam.

103. *Benedic anima mea, Domine: Domine Deus...* — Idem: item a rebus conditis.

104. *Confitemini Domino, et invocate...* — Praeconium laudis Dei a rebus gestis in genere.

105. *Confitemini Domino, quoniam bonus: ... Quis loquetur...* — Idem: item precatio regis pro populo: item precatio contra varias calamitates: item contra hostes in genere.

106. *Confitemini Domino, quoniam bonus:...* *Dicant qui redempti...* — Idem.

107. *Paratum cor meum, Deus.* — Gratiarum actio in genere: item ob victoriam: item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

108. *Deus, laudem meam ne tacueris.* — Laus Christi a persecutionibus in vita: item a passione et morte illius: item precatio querula de hostibus: item pro victoria et triumpho de iis.

109. *Dixit Dominus Domino meo.* — Triumphus Christi.

110. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in concilio...* — Praeconium laudis Dei a lege et bonitate.

111. *Beatus vir qui timet Dominum.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis: item laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum et vituperationes malorum.

112. *Laudate pueri, Dominum.* — Praeconium laudis Dei in se: item gratiarum actio in genere.

113. *In exitu Israël de Aegypto...* — Praeconium laudis Dei a rebus gestis in genere et in specie: item gratiarum actio in genere.

114. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus...* — idem in specie: item gratiarum actio ob liberationem a malis.

115. *Credidi, propter quod locutus sum.* — Idem quoad gratiarum actionem: item ob beneficentiam.

116. *Laudate Dominum omnes gentes.* — Praeconium laudis Dei in se: item a lege et bonitate: item triumphus Christi.

117. *Confitemini Domino, quoniam bonus:...* *Dicat nunc...* — Solemnis congratulatio in coronatione Davidis: item in traslatione arcae Domini in Sion: item in resurrectione tum Christi, tum nostra.

118. *Beati immaculati in via.* — Idem a lege et bonitate: item laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum, et vituperationes malorum: item triumphus Christi.

119. *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi.* — Precatio ad malum amovendum in genere: item querula de hostibus: item pro liberatione ab iis.

120. *Levavi oculos meos in montes.* — Idem.

121. *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi.* — Gratiarum actio in genere.

122. *Ad te levavi oculos meos.* — Precatio ad malum amovendum in genere: item contra hostes in genere.

123. *Nisi quia Dominus erat in nobis.* — Gratiarum actio in genere: item ob liberationem a malis: item ob beneficentiam.

124. *Qui confidunt in Domino.* — Laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum et vituperationes malorum: item precatio ad malum amovendum in genere.

125. *In convertendo Dominus captivitatem Sion.* — Gratiarum actio in genere: item ob liberationem a malis.

126. *Nisi Dominus aedificaverit domum.* — Praeconium laudis Dei a rebus gestis in specie: item laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum et vituperationes malorum.

127. *Beati omnes qui timent Dominum.* — Laus et descriptio viri boni: item laudes bonorum et vituperationes malorum: item precatio regis pro populo.

128. *Saepe expugnaverunt me.* — Obiurgatio malorum et triumphus de iis.

129. *De profundis clamavi ad te, Domine.* — Precatio poenitentialis pro peccato.

130. *Domine, non est exaltatum cor meum.* — Laus et descriptio viri boni.

131. *Memento, Domine, David.* — De Christo et Ecclesia in genere: item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

132. *Ecce quam bonum et quam iucundum.* — Laudes bonorum et vituperationes malorum.

133. *Ecce nunc benedicite Dominum.* — Praeconium laudis Dei in se: item precatio regis pro populo.

134. *Laudate nomen Domini.* — Idem: item a rebus conditis: item a lege et bonitate: item a rebus gestis in genere: item gratiarum actio in genere: item ob liberationem a malis.

135. *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in aeternum...* — Idem: item a rebus conditis: item a lege et bonitate: item a rebus gestis in genere: item gratiarum actio in genere: item ob liberationem a malis.

136. *Super flumina Babylonis.* — Precatio contra hostes in genere: item pro victoria et triumpho de iis.

137. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: quoniam...* — Gratiarum actio ob liberationem a malis: item ob beneficentiam.

138. *Domine, probasti me.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis: item laus hominis in genere; item precatio pro bono sibi adipiscendo in specie.

139. *Eripe me, Domine.* — Precatio pro liberatione ab hostibus.

140. *Domine, clamavi ad te.* — Precatio ad malum amovendum in genere: item pro liberatione ab hostibus.

141. *Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum...* — Precatio pro liberatione ab hostibus.

142. *Domine, exaudi orationem meam: auribus percipe...* — Precatio poenitentialis pro peccato: item pro liberatione ab hostibus.

143. *Benedictus Dominus Deus meus.* — Praeconium laudis Dei in se: item a lege et bonitate: item laudes honorum et vituperationes malorum: item obiurgatio malorum et triumphus de iis: item precatio pro victoria et triumpho de hostibus.

144. *Exaltabote, Deus meus, rex.* — Idem: item a rebus conditis: item a lege et bonitate.

145. *Lauda, anima mea, Dominum.* — Idem a lege et bonitate.

146. *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus.* — Praeconium laudis Dei a rebus conditis: item a lege et bonitate.

147. *Lauda Ierusalem, Dominum.* — Idem: item a lege et bonitate: item a rebus gestis in specie.

148. *Laudate Dominum de coelis.* — Praeconium laudis Dei in se: item a rebus gestis in specie.

149. *Cantate Domino canticum novum: laus eius...* — Gratiarum actio ob liberationem ab hostibus.

150. *Laudate Dominum in sanctis eius.* — Praeconium laudis Dei in se.

V. De Mandato Excell.mi et Ill.mi D. D. Archiep.
Th. IOSEPH GHIRINGHELLO.

Case 11-13003

Page 11

11/13/03

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BS	Bellarmino, Roberto Francesc
1429	Romolo
B4	Psalterium Davidis cum
1880	brevi ac succincta paraphras
v.2	

